AUTHOR:

WELZEL, PAUL

TITLE:

DE IOVE ET PANE

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

Master Negative #

92-81044-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG91-B56157        Acquisitions     NYCG-PT
FIN ID NYCG91-B56157 - Record 1 of 1 - Record updated today
+
  ID:NYCG91-B56157           RTYP:a    ST:p    FRN:   MS:   EL:      AD:06-05-91
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:    SNR:       ATC:      UD:06-18-92
  CP:cs       L:lat     INT:?    GPC:?    BIO:?   FIC:?      CON:???
  PC:n       PD:    /            REP:?    CPI:?   FSI:?      ILC:????   II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:          COL:       EML:      GEN:   BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100 1   Welzel, Paul.
  245 10  De Iove et Pane dis Arcadicis‡h[microform].‡bDissertatio inauguralis p
       hilologica quam...‡cpublice defendet Paulus Welzel.
  260     Vratislaviae.‡bTypis Roberti Nischkowsky.
  300     38 p.
  LDG     ORIG
  QD      06-18-92
```


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-12-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT













Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches









DE IOVE ET PANE DIS ARCADICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXVIIII. HORA XII.

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

PAULUS WELZEL

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

PAULUS RENISCH, DR. PHIL., GYMN. LIGNIC. COLLEGA.
BERTHOLDUS SPECK, DR. PHIL., GYMN. BUNZLAV. COLL.
ALFREDUS BAEHNISCH, CAND. PHIL.
GEORGIUS WISSOWA, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE,
TYPIS ROBERTI NISCHKOWSKY.

CAROLO NEUMANN

SACRUM.

Quaestionem de sacris Arcadicis instituentem rem difficilem me suscepisse non ignoro.

Nam cum valde adhuc dissentiant viri docti, quae via et ratio in rebus mythicis investigandis sit adhibenda, tiro, qui ex studiis in hac arte collocatis fructum aliquem sese capturum sperat, nimia videtur praeditus esse audacia. Attamen — quamvis „tremente pede et vacillante animo“ — ad propositum accessimus neque operam, ut aiunt, et oleum nobis videmur perdidisse in opusculo conscribendo, quoniam id maxime studuimus, ut commenticiis opinionibus considerate vitatis certa tantummodo ac solida amplecteremur.

Iam constat inter viros doctos singulas Graecorum gentes suos deorum cultus religionesque etiamtum retinuisse, cum peregrinatae sive inter populos eiusdem originis sive inter barbaros consedissent. Eosdem igitur coloni deos venerabantur, quos in patria urbe adoraverant. Itaque ex religione et sacris institutionibus unde gens aliqua originem habuerit coniecturam facere licet[1]). Quam sententiam iam protulit Iamblichus, qui ex sacris Samiorum cognosci potuisse docet unde diversae eorum gentes originem duxissent[2]).

---

[1]) Ern. Curtius „griech. Geschichte“ tom. I. p. 43 (ed. IV.): „Was hat ein Volk Eigenthümlicheres, als seine Götter?“ — Ibidem p. 53: „Die Geschichte der Götter ist die Vorgeschichte des Volkes und zugleich des Landes.“ — cf. F. G. Welcker „griech. Götterlehre“ tom. I. p. 16: … „Die Einerleiheit des Cultus ist daher für die früheren Zeiten das sicherste Zeichen gemeinsamer Abkunft.“ —

[2]) Iamblichi de vita Pythagorica liber cp. II. „… *Τοῦ δὲ τὰς ἀποικίας ἐκ τῶν τόπων τῶν προειρημένων συνελθεῖν σημεῖόν ἐστιν οὐ μόνον αἱ τῶν θεῶν τιμαὶ καὶ θυσίαι, διότι μετηγμέναι τυγχάνουσιν ἐκ τῶν τόπων, ὅθεν τὰ πλήθη τῶν ἀνδρῶν συνῆλθεν· ἀλλὰ καὶ* …“

Quae cum ita sint, etiam in Arcadia diversas exstitisse gentes iure dici potest, cum tot cultus diversi ibi inveniantur, qui et inter se et a finitimarum gentium sacris mirum quantum differant et insuper summa vetustate insignes sint. Quod quidem Ernestus Curtius V. C. intellexit, qui inveteratam illam opinionem per totam Arcadiam antiquitus Pelasgos habitavisse reicere ausus est non cum eo, qui par erat, consensu [1]).

Itaque, ut ad diiudicandam eam quaestionem aliquid conferam, in examinandis Arcadum diis studium meum collocavi et hac mea dissertatione de Iove Arcadico et, quem ex eius natura profectum esse puto Panem, agere constitui, in reliquos Arcadiae deos, Minervam Aleam, Dianam, Cererem, Neptunum, ceteros, alia occasione inquisiturus. —

---

[1]) E. Curt. „Peloponnesos" tom. I. p. 159 sqq. Pag. 160 haec legimus: „Auf diesen Gegensatz einer älteren und jüngeren Bevölkerung Arkadiens, welchen wir in den Stammtafeln seiner Urkönige durchschimmern sehen, leiten uns auch andere Spuren." ... —

Adstipulatur Curtio Ioan. Iulius Schubring in dissert. „de Cypselo" (Gottingae 1862) p. 17 sqq. —

Curtio obloquuntur L. Schillerus „Stämme und Staaten Griechenlands" part. I. (progr. gymn. Erlang. 1855) p. 14 sqq. et Bursian in geogr. Graec. tom. II. p. 188. — [Ceterum cf. E. Curt. „griech. Gesch." 1[4] p. 631 nota 12.] —

Etiam A. Bertrand „de fabulis Arcadiae antiquissimis" (Parisiis 1859) rem eandem tractavit, sed non ea, qua debuit, cura ac diligentia. — Diversas et ille quidem in Arcadia gentes statuit. cf. p. 44. 54. 56.

De Iove Arcadico.

In montis Lycaei summo vertice, unde magna Peloponnesi pars conspiciebatur [1]), ante aram Iovis Lycaei terrenam orientem versus duae exstructae erant columnae, aquilis olim inauratis ornatae, qua in ara Iovi arcana sacra fiebant. Neque igitur in templo, ut postea Graeci solebant, Arcades deo Lycaeo sacra instituerant nec simulacrum eius constitutum habebant, sed duabus illis columnis locum esse Iovi sacrum indicaverunt. Quoniam autem constat cultum deorum templis et imaginibus carentem omnium esse antiquissimum, quam antiqua ibi fuerit Iovis religio satis illa re indicatur. Praeterea etiam fabulis, quae ferebantur, et sacris caerimoniis, quae agebantur, idem probatur.

Pausanias enim Periegeta, antequam ipse illas regiones visit, haec comperta habuit [2]): Lycaon, Pelasgi filius, Iovem cognomine Lycaeum appellavit eique sacra et certamina instituit, quae celeberrima erant totius Arcadiae. Hostiae autem loco Iovi Lycaeo infantem mactavit, cuius sanguine dei aram conspersit; sed in ipso sacrificio lupus ex homine factus est. Quo ex tempore etiam postea in unoquoque Iovis Lycaei sacrificio aliquem hominem in lupum converti narraverunt [3]), non in totam quidem vitam, sed in novem tantum annos; decimo demum anno rursus humanam figuram eum induere putabant, si interea ab humana carne se abstinuisset; sin minus, semper lupum manere.

Quam quidem fabulam Periegeta hilari et simplici animo tradidit et, qua est in sacris narrationibus credulitate, persuasum

---

[1]) Pausan. VIII. 38, 7 (Schubart). Pindar Olymp. XIII. v. 108: *„Λυκαίου βωμὸς ἄναξ."* — cf. Curtius Pelop. I. 302. — Bursian „Geographie v. Griechenl." II. p. 236. — Guil. Lang „Peloponnesische Wanderung" (Berolini 1878) p. 150.

[2]) VIII. 2, 1—3.

[3]) Pausan. VIII. 2, 6. — cf. Polybius VII. 13, 7: *„λύκος ἐξ ἀνθρώπου κατὰ τὸν Ἀρκαδικὸν μῦθον."*

sibi esse adiecit Lycaonem, ut poenas daret, a Iove in lupum esse conversum. Atque quo magis appareret, quantum scelus Lycaon commisisset, cum cum Cecrope, quem Lycaonis aequalem arbitratus est, Pausanias comparat praedicans hunc in rebus divinis maiore sapientia usum esse, cum vetaret, ne quid Iovi Summo mactaretur animatum[1]). Semper vero in Iovis Lycaei sacrificio aliquem in lupum mutari fabulam esse confictam ab iis, qui mythis delectarentur.

Sed qui hunc locum cum altero, quo iterum de illo sacrificio sermo est[2]), comparaverit, cum vix effugiet auctorem posteriore loco cum religiosa quadam verecundia ac timore, ne dicam horrore, quae audivit, nos celare. Iis enim rebus, quas in ipso loco comperit, adeo obstupefactus atque attonitus videtur esse, ut, quamvis talium sacrorum sit adversarius, tacere malit, quam contra fas aliquid prodere. Quapropter haec tantum: „ἐπὶ τούτου, inquit, τοῦ βωμοῦ τῷ Λυκαίῳ Διῒ θύουσιν ἐν ἀπορρήτῳ· πολυπραγμονῆσαι δὲ οὔμοι τὰ ἐς τὴν θυσίαν ἡδὺ ἦν, ἐχέτω δὲ ὡς ἔχει καὶ ὡς ἔσχεν ἐξ ἀρχῆς.“

Quae autem Pausanias cum religione tum indignatione commotus nos celavit, de iis alii scriptores certiores nos faciunt. Plato enim memoriae prodidit barbaram consuetudinem hominum immolandorum in monte Lycaeo servatam esse. In Platonis, qui vulgo fertur, dialogo Min. p 315 C. codices quidem manuscripti tradunt: „οἱ ἐν τῇ Λυκίᾳ οὗτοι καὶ οἱ τοῦ Ἀθάμαντος ἔκγονοι οἵας θυσίας θύουσιν Ἕλληνες ὄντες;[3])“ Sed Boeckhius illud „ἐν τῇ Λυκίᾳ“ in „ἐν τῇ Λυκαίᾳ“ (scil. γῇ) et Welckerus[4]) probante E. Curtio[5]) in „ἐν τῷ Λυκαίῳ“ correxit. Altero vero loco[6]), de quo dubitari nequit, Plato ipse haec commemorat: „ὁ γευσάμενος τοῦ ἀνθρωπίνου σπλάγχνου, ἐν ἄλλοις ἄλλων ἱερείων ἑνὸς ἐγκατατετμημένου ἀνάγκη δὴ τούτῳ λύκῳ γενέσθαι.“ Quae quidem optime cum Pausania conveniunt, nisi quod hic non eum, qui exta gustavisset, sed aliquem ex sacrificantibus in lupum conversum esse dicit.

---

1) Paus. VIII. 2, 3. 2) Paus. VIII. 38, 7.

3) De sacrificiis humanis ibi sermonem esse e praecedentibus apparet. — Praeterea cf. Boeckhii comment. in Min. p. 33 sqq. et 56.

4) Opuscula tom. III. p. 162 not 9.

5) Peloponn. I. p. 339 not. 14.

6) Plat. de republ. lib. VIII. p. 565 D. — cf. eiusd. de legib. l. VI. p. 782 C.: „*τὸ δὲ μὴν θύειν ἀνθρώπους ἀλλήλους, ἔτι καὶ νῦν παραμένειν ὁρῶμεν πολλοῖς.*“

Barbarum autem istum morem, de quo Plato verba fecit, a Pausaniae temporibus non alienum fuisse Porphyrii testimonio probatur, qui vel sua aetate Lycaeo deo homines mactatos esse prodidit[1]). Itaque hoc antiqui tradunt Iovi Lycaeo die statuto hominem vel infantem immolatum esse; cuius exta qui in illo sacrificio gustavisset eum in lupum conversum esse, vel, ut Plinii[2]) verbis utar, „abire in deserta transfigurarique in lupum et cum ceteris eiusdem generis congregari per annos VIIII“ necesse fuisse.

Ea autem sacra consuetudo quin vetustissimis temporibus adscribenda sit nemini erit dubium[3]); neque minus certum est summi momenti ad veterum Arcadum religionem recte intellegendam eas esse fabulas, quippe quibus, quamvis sint deformatae, doceamur, quae fuerit dirae illius religionis origo, vel quod fuerit vetus „δόγμα,“ ut verbo utar, ex quo tamquam ex radice superstitiones illae et caerimoniae fluxerint.

Eundem mythum ex auctoribus Pausania vetustioribus Apollodorus prodidit hac fere ratione[4]): Iuppiter humana figura et specie indutus ad Lycaonem eiusque quinquaginta filios venit, ut ipse nequitiam eorum et superbiam cognosceret; qui Iovi in epulas adhibito pueri[5]) exta carni hostiarum immixta vescenda

---

1) Porphyr. de abstinentia II. 27 (ed. Hercher): ..„*μέχρι τοῦ νῦν οὐκ ἐν Ἀρκαδίᾳ μόνον τοῖς Λυκαίοις οὐδ' ἐν Καρχηδόνι τῷ Κρόνῳ κοινῇ πάντες ἀνθρωποθυτοῦσιν*“ — Quem quidem locum laudavit Eusebius Pamphili — praepar. evangel. lib. IIII. cp. 16. — cf. R. Suchier „de victimis humanis apud Graecos“ part. I. (dissert. inaug. Hanoviae 1848) p. 16. et Ios. Beckers „de hostiis humanis ap. Graec.“ (dissertat. inaugur. Monasterii 1867) p. 38 sqq. — Cum Iosepho Beckers (p. 39), causam satis idoneam, qua commoti locum quem laudavi Porphyrii ex Theophrasto desumptum esse statuamus, non video. (cf. Welcker „griech. Götterl.“ I. p. 211 et E. Curtius Pelop. I. p. 399 not. 14.) — Praeterea de ea re cf. G. F. Schoemann „Griech. Alterthümer“ II. p. 252 et 507 (ed. III.) et K. Fr. Hermann „gottesdienstl. Alterth.“ ed. II. p. 159 not. 5 et 6.

2) Plin. nat. hist. VIII. 22, 81 ed. L. Jan. — S. Augustini de civitate dei lib. XVIII. cp. 17 (ed. Dombart tom. II. p. 276 sq.).

3) Cf. Marmor Parium (Boeckh C. I. G. n. 2374). Linea 30 et 31 haec legimus: „*...βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Πανδίονος τοῦ Κέκροπος. ἀφ' οὗ [ἐ]ν Ἐλευσῖνι ὁ γυμνικὸς [ἀγὼν ἐτέθη κ]α[ὶ θ]υ[σίαι βρέφους ἀνθρώπου κ]αὶ τὰ Λύκαια ἐν Ἀρκαδίᾳ ἐγένετο καὶ [αἱ ἐ]κκ[ηρύξεις τοῦ] Λυκάονος ἐδόθησαν...*“ De Boeckhii supplemento cf. Müllerum in fragm. historic. Graec. tom. I. p. 566.

Praeterea cf. C. O. Mülleri prolegg. p. 231 et Suchier l. l. p. 16.

4) Apollod. biblioth. III. 8, 1.

5) „*ἕνα τῶν ἐπιχωρίων παῖδα σφάξαντες.*“

proposuerunt. Deus autem iratus mensa eversa Lycaonem filiosque fulminis ictu interfecit; uni Nyctimo, natu minimo, precibus Telluris commotus pepercit [1]).

Quod si eum Pausaniae testimonio comparaveris, Apollodorum missis minutiis summa in re cum Periegeta congruere reperies. Uterque enim Lycaonem Iovi puerum mactavisse et eius flagitii poenas dedisse refert.

Tertium afferam testem Nicolaum Damascenum, qui fabulam eandem laudat, sed in recentiorem et humaniorem formam redactam [2]). Fragmentum hoc est: „Λυκάων ὁ Πελασγοῦ υἱός, βασιλεὺς Ἀρκάδων, ἐφύλαττε τὰ τοῦ πατρὸς εἰσηγήματα ἐν δικαιοσύνῃ. ἀποστῆσαι δὲ βουλόμενος καὶ αὐτὸς τῆς ἀδικίας τοὺς ἀρχομένους ἔφη τὸν Δία ἑκάστοτε φοιτᾶν παρ' αὐτὸν, ἀνδρὶ ξένῳ ὁμοιούμενον εἰς ἔποψιν τῶν δικαίων τε καὶ ἀδίκων. καὶ ποθ', ὡς αὐτὸς ἔφη, μέλλων ὑποδέχεσθαι τὸν θεὸν, θυσίαν ἐπιτελεῖν. τῶν δὲ υἱῶν αὐτοῦ πεντήκοντα, ὥς φασιν, ὄντων ἐκ πολλῶν γυναικῶν, βουλόμενοι γνῶναί τινες οἱ τῇ θυσίᾳ παρόντες, εἰ τῷ ὄντι θεὸν μέλλουσι ξενοδοχεῖν, θύσαντές τινα παῖδα, ἐγκατέμιξαν τοῖς τοῦ ἱερείου κρέασιν, ὡς οὐ λήσοντες εἴπερ ὄντως θεὸς ἔπεισιν. ὑπὸ δὲ τοῦ δαιμονίου χειμώνων μεγάλων καὶ κεραυνῶν ῥαγέντων, φασὶ τοὺς αὐτόχειρας ἅπαντας τοῦ παιδὸς ἀπολέσθαι."

Itaque Nicolao auctore non Lycaon ipse scelus impium commisit, sed nonnulli eius filii pueri necati viscera carni hostiarum immiscuerunt, ut periclitarentur, num recte Lycaon deum adesse praedicavisset, qui hominum facinora spectaret; neque vero ab epulante Iove, sed „ὑπὸ τοῦ δαιμονίου" tempestatibus et fulguribus interempti sunt.

Praeter eos rem tetigerunt Ovidius [3]) et Hyginus [4]), qui Apollodoro sua, tantum non omnia, debere videntur, quandoquidem

---

[1]) Cf. Tzetz. Lycophr. 481: „*καὶ τὴν Ἀρκαδίαν συνεχῶς ἐκεραύνωσεν, ἕως ἡ Γῆ ἀνασχοῦσα τὰς χεῖρας καὶ τῆς δεξιᾶς τοῦ Διὸς ἐφαψαμένη τὴν ὀργὴν κατέπαυσε.*" Cuius quidem loci posteriorem partem (inde a „*ἡ γῆ* cet.") ex Apollodoro ad verbum mutuatus est. —

[2]) Fragm. 43. in Mülleri fragm. hist. Gr. vol. III. p. 378. — Pausanias, quamquam ex iis quos laudavi testibus minimus est aetate, tamen ex parte quidem ceteris antiquiorem fabulae formam servavit. cf. infra pag. 13 not. 4.

[3]) Metamorph. lib. I. v. 216—239.

[4]) Hygin. fab. 176. cf. eiusd. poët. astron. lib. II. v. 4.

hac una re ab illo differunt, quod Lycaonem non interfectum sed in lupum mutatum esse scripserunt [1]).

Plane igitur perspicuum est in omnibus iis narrationibus, quamvis fabulam paululum immutent, semper id esse summum, propter puerum immolatum deum nefarium homicidam vel nefarios homicidas poena affecisse.

Ea, quae exposui, veteres scriptores de sacro Lycaeo tradiderunt. Iam vero, ut mythum illum recte intellegamus, videndum est, quae fuerit natura Iovis Lycaei, quem hominis sacrificio placare studebant.

Atque Iovem Λυκαῖον deum esse luminis caelestis, qualis fuit Romanorum Lucetius, Diespiter (i. e. „diei ac lucis pater") eiusque cognomen derivandum esse a radice ΛΥΚ iam inter viros doctos convenit [2]). Quae quidem opinio ipsa fabula fulcitur, quam Pausanias de dei fano audivisse se tradit: in monte enim Lycaeo lucum esse Iovi consecratum, quem adire hominibus nefas esset; quod si quis neglexisset, ei intra anni spatium moriendum esse; sin autem fortuito sive homo sanctae legis inscius, sive animal fines transiisset, umbram inde non cadere; quapropter venatores bestias in lucum ingressas sequi non audere neque unquam extra fines remanentes umbram bestiae Iovis „ἄβατον" percurrentis vidisse [3]).

Fabula sane mirabilis, qualis etiam Pausaniae visa est, qui notum quidem esse adiecit in Libya tempore aequinoctiali [4]), cum

---

[1]) Fabulae Lycaonis praeterea mentionem fecerunt Eratosthenes *καταστερισμ.* 8, Schol. ad Stat. Theb. 8, Arnob. adv. gent. IV. c. 24. — Nicolaum Damascenum ad verbum exscripsit Suidas (s. v.). —

[2]) Cf. G. Welcker „griech. Götterlehre" tom. I. p. 210. — K. O. Müller prolegg. p. 290 sq.: „Dass *Ζεὺς Λυκαῖος* vom Licht seinen Namen habe, kann man nicht bezweifeln; aber das eigentliche Stammwort ist nur im Lateinischen lux, obgleich im Griechischen *λευκός, λύχνος* u. a. Worte davon herkommen." — cf. eiusdem auctoris „Dorier" I[1] p. 304. — O. Mülleri sententiam sequuntur Schwenck „Mythologie der Griechen" p. 19, Preller in Pauly encycl. real. tom. IIII. p. 589 s. v. Iuppiter. — I. F. Lauer „System der Mythologie" p. 182 sqq. — H. D. Müller „über den Zeus Lykaios" in programmate gymnasii Gottingensis a. 1851 p. 12 sqq. — I. Overbeck „Beiträge zur Erkenntniss und Kritik der Zeusreligion" in actis societatis litter. Saxon. tom. IIII. No. 1. (Lipsiae 1861) p. 39. —

[3]) Pausan. VIII. 38, 6.

[4]) „*χρόνον μὲν δὴ τὸν ἴσον.*" — Immo tempore s o l s t i t i a l i.

sol in Cancrum intrasset, neque arbores neque animalia umbram facere; in Iovis autem Lycaei fano omnes res per totum annum umbra carere. —

Ea igitur superstitione, cuius etiam alii mentionem fecerunt[1]), Odofredi Mülleri sententiam satis probari puto, qui in illo fano lumen inesse Arcades credidisse primus coniecit[2]). Quae cum ita sint, dubitari non poterit, quin Ζεὺς Λυκαῖος pro deo lucis caelestis habendus sit.

Sed in ea interpretatione non acquiescendum esse Schwenckius[3]) intellexit Lycaeum illum esse deum ratus, qui ardentissimis aestivi solis radiis plantas herbasque torreret atque exureret atque ita infestum se praeberet. Hac autem ipsa de causa, quod Iuppiter Lycaeus deus est perniciosus, lupusque in eius religione locum habet (quod animal in Germanorum quidem fabulis tenebrarum quasi insigne est), H. D. Müllerus Iovem Lycaeum non caelestem sed inferum deum esse arbitratus est[4]). Quod

[1]) Theopomp. ap. Polyb. XVI. 12, 7. „... ὃ πεποίηκε Θεόπομπος, φήσας τοὺς εἰς τὸ τοῦ Διὸς ἄλσος ἐμβάντας κατ' Ἀρκαδίαν ἀσκίους γενέσθαι." — Plutarch. quaestt. Graec. cp. 39. — Callimach. hymn. in Iovem v. 13 et schol. ad eum loc. „...καὶ σκιὰν τὸ σῶμα αὐτοῦ (scil. παντὸς ζώου εἰσιόντος) οὐκέτι ἐποίει." — Num C. Müllerus (fragm. histor. Graec. vol. I. p. 324, fragm. 272) etiam Pausaniae locum: „τὸ δὲ ὄρος ... usque ad οὐδεμίαν ἀπ' αὐτοῦ θεᾶται σκιάν" (VIII. 38, 6) ex Theopompo desumptum esse recte opinatus sit, mihi quidem maxime dubium videtur. Argumentum enim Müllerus non attulit, neque verba Theopompi, quae Polybius laudavit, opinioni eius favere arbitror. Immo quae apud Pausaniam illum locum sequuntur, iis verisimile est Periegetam fabulam ex incolarum narrationibus compertam litteris mandavisse.

[2]) „Dorier" I[1] p. 306. „Man sieht, dass man das Licht dem Abaton inwohnend glaubte." cf. Lauer „Syst. der Myth." p. 181: „Λυκαῖος heisst dieser Berg vom Lichte und Glanze, so wie Ζεὺς selbst." ... „In dem Letzteren (scil. ingressos in Jovis „ἄβατον" umbra carere) zeigt sich die Einwirkung des Lichtgottes." — H. D. Müller l. l. p. 12. — Welckerus V. C. aliam sane protulit opinionem (opuscula tom. III. p. 161), eum, qui in fanum consulto intravisset, capitis damnatum esse; atque id Arcades leniore verbo significavisse: ingressum hominem umbram non habere. — Sed suo iure, puto, Overbeckius l. l. p. 39 id reiecit.

[3]) Schwenck ‚Mythologie der Griechen' p. 19.

[4]) H. D. Müller (progr. Gott.) p. 22: „... so sehen wir uns demnach genöthigt (!), in dem Zeus Lykaios ein chthonisches Wesen zu erkennen ..." Videre licet, quam invitus Müllerus id coniecerit. Neque mirum; nam in argumentis, quibus nititur, nullam persuadendi vim inesse ipse videtur sensisse.

equidem prorsus improbo mihique persuasum est cum Iovis Lycaei naturam pestiferam tum lupum, qui in illa superstitione tanti est momenti, optime intellegi posse, si deum esse eum luminis caelestis statuamus. Itaque, quae sit mea sententia, nunc proferam.

Omnibus enim et veterum auctorum locis et virorum doctorum opinionibus diligenter perpensis Iovem Lycaeum lucis quidem deum esse arbitror, sed duplici natura praeditum.

Iuppiter enim, deus caelestis et auctor luminis, tempore vernali solis calore et mitibus radiis herbas et gramina procreat arboresque nova fronde ornat. Itaque clementem se et benignum patrem praestat, ut merito ei cognomen Lycaeo, i. e. fonti luminis vel „diei ac lucis patri" tribuatur. Sed idem deus tempore aestivo, cum ferventes solis radii fontes rivosque exsiccant, plantas exurunt, arbores arefaciunt, ea, quae antea progenuit, ipse videtur delere et tamquam devorare; quapropter pastor, qui in pascuis et saltibus pabulum gregibus quaerens non invenit, funestam illam naturae vim cum voraci lupo haud inepte comparat. Accedit quod prata et arva et Italiae et Graeciae calore aestivo canescunt, nonnunquam fere infuscantur[1]), ita ut eadem sint canitie vel eodem fulvo colore ac pellis lupina. Praeterea cum candentes solis radii paludibus stagnisque, quae in Arcadia creberrima sunt,

Lupus enim non est insigne orci (cf. Lauer l. l. p. 182: „Ihre [scil. luporum] Verbindung mit Zeus sowohl als mit Apollon zeigt, dass sie in irgend einer Rücksicht in Bezug auf Licht und Helle müssen gesetzt worden sein." — O. Müller ‚Dorier' I. 305 sq.), Ζεὺς Λυκαῖος omnino non cum Jove χθονίῳ confundendus est. — Welcker (‚gr. Götterl.' I. p. 65) de lupo, Jovis insigni, ipse secum dissentiens haec protulit: „... Es ist also der Wolf wohl (!) ein Symbol eines dem Licht feindlichen Wesens, des Winters, der Stürme, der Finsterniss; aber indem sich der Lichtgott in Ares und Sabazios, Lykios und Dionysos spaltet, hört er nicht auf, auch Symbol des Lichts zu sein, der verzehrenden Sonne." — Itaque ex Welckeri sententia lupus simul esset signum tenebrarum, simul lucis! — Rectissime contra Overbeckius „Zeusrel." p. 51: „Dem Himmelsgott, dem Aethergott, so scheint mir, galt der Cult auf den in den Himmel ragenden, gleichsam den Himmel stützenden Bergen, auf deren Gipfel sich deshalb auch der Himmelszeus niederlässt." —

[1]) Overbeck l. l. p. 98: „...des Sonnenbrandes, den jeder zu würdigen wissen wird, der z. B. die sommerliche oder nachsommerliche Campagna di Roma kennt." ...

quasi incubant, febres letiferae morbique perniciosissimi oriuntur, qui in homines videntur saevire, sicuti lupus in greges. Itaque deus, qui vere benignum se praestiterat, aestate mutatus esse dicitur in lupum; cuius rei cognomen Lycaei ipsum, cum vera huius verbi notio (‚deus lucis‘) brevi iam non intellegeretur, commodissimam ansam praebuit et tum factum est, ut Lycaeum cognomen nisi perniciosae dei naturae non tribueretur [1]).

Idem igitur numen duplicem naturam prae se fert, et procreantem et delentem, quarum posterior signo lupi i. e. λύκου vel λυκάονος intellegitur. Quae quidem recte me opinatum esse argumento est Pausaniae locus [2]), quem unus, ni fallor, Ernestus Curtius [3]) non neglexit. Docemur scilicet ante Iovis aram orientem versus duas fuisse columnas cum aquilis olim inauratis.

Utramque igitur columnam insigne fuisse Iovis aquila imposita satis demonstratur; atque alteram quidem Iovis, dei benigni ac clementis [4]), alteram Iovis Lycaei, dei terribilis ac noxii fuisse existimo [5]).

Neque fortuito ibi duas columnas fuisse, neque falso id Pausaniam narravisse alter ipsius Pausaniae locus argumento est [6]),

---

[1]) Odofredus Müllerus (‚Dorier‘ I. p. 305 sq.) propensus esse videtur, qui etymologiam illam statuat vocem „λύκου“ ad eandem radicem ΛΤΚ spectare ac latinam „lucis.“ Quod quidem cum acerbitate quadam reiecit Ulrichs ‚Reisen und Forschungen in Griechenl.‘ p. 68 not. 29. — G. Curtius v. d. (‚Grundzüge der griech. Etymologie‘ ed. II. p. 147 sq. cf. p. 665) vocem „λύκο—ς“ e radice ΛΤΚ (= „lux“) derivare dubitavit. — Vox enim sanscritica pro „λύκος“ est vṛkas, cuius formam nativam cum Schleichero consentiens statuit „varka—s“, ex qua per metathesin fieret „vraka—s, vlaka—s, vluko—s, Ϝλύκο—ς, λύκο—ς.“ —

Fortasse autem simili modo ex eadem radice „vark“ per vrak, vruk, vruk', vox sanscritica ruk' = splendor, et ruk', rôk'e = luceo derivari potest. —

[2]) VIII. 38, 7: „... πρὸ δὲ τοῦ βωμοῦ κίονες δύο ὡς ἐπὶ ἀνίσχοντα ἑστήκασιν ἥλιον, ἀετοὶ δὲ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίχρυσοι τάγε παλαιότερα ἐπεποίηντο.“ —

[3]) E. Curt. „Einige Bemerkungen über arkadische Münzen“ in Pinderi et Friedlaenderi: „Beiträge zur älteren Münzkunde.“ (Berolini 1851) tom. I. p. 85—92.

[4]) Qui quidem Iuppiter benignus Ζεὺς Ἀρισταῖος fortasse nominatus est. cf. infra p. 18.

[5]) De E. Curtii sententia meae, puto, omnino non adversa in posteriore parte disseram. cf. infra p. 37 sq. Curtius enim alteram columnam Pani sacratam fuisse arbitratur. —

[6]) VIII. 30, 2.

quo descripsit, quae Megalopoli in urbe visu digna fuissent. Dico haec eius verba: „περίβολος δέ ἐστιν ἐν ταύτῃ (scil. Μεγάλης πόλεως ἀγορᾷ) λίθων καὶ ἱερὸν Λυκαίου Διός. ἔσοδος δ' ἐς αὐτὸ οὐκ ἔστι· τὰ γὰρ ἐντός ἐστι δὴ σύνοπτα, βωμοί τέ εἰσι τοῦ θεοῦ καὶ τράπεζαι δύο καὶ ἀετοὶ ταῖς τραπέζαις ἴσοι.“ Ex quo quidem loco apparet etiam Arcades posterioris aevi Magalopoli priscum illud in monte Lycaeo fanum diligenter imitando effinxisse [1]).

Iam vero ex Apollodori et Pausaniae fabulis facile opinari licet, quae fuerit vetustissima religio, vel „δόγμα“ principale, quas deinceps mutationes inierit, qua ratione ritu sacrisque caerimoniis illud „δόγμα“ expresserint et ante oculos proposuerint.

Quoniam enim res, quas sub leni mitique coelo, vel, si Horatium imitari licet [2]), sub Iove amoeno terra progenuit, mythice vel symbolice Iovis progenies appellari possunt eaque progenies ardore aestivo deletur, vetustissima forma dogmatis, de quo agitur, haec fuisse videtur:

Iuppiter liberos suos interfecit et devoravit. [Ζεὺς κτείνει καὶ I.
καταπίνει [3]) (vel λαφύσσει) τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας.]

Haec a me prolata recte sese habere indicio est Apollodori locus, quo narratur, a Tellure Iovem propter flagitium Lycaonidarum iratum precibus placatum esse, ita ut soli Nyctimo pepercerit [4]). Nam iis verbis mythum Arcadum mutatis nominibus esse eundem ac Cretensium, Saturnum filios suos devoravisse unumque Iovem a Rhea matre servatum esse, satis indicatur [5]).

---

[1]) Hac una in re fana illa Iovis Lycaei differunt, quod in monte Lycaeo una ara („πρὸ δὲ τοῦ βωμοῦ“ Paus. VIII. 38, 7) Megalopoli autem, ut numero aquilarum responderent, duae erant. —

Megalopoli vero eadem detestanda sacrificia acta esse, quae in monte Lycaeo agebantur, non verisimile est. Nam postea quoque deo lucis in altissimo monte immolandum esse putabant, sicuti Persae deos suos in summis montibus venerabantur. Itaque sacrificium in monte remansit, nec ea ipsa re mirum est in loco recondito crudelem istum hominum immolandorum morem paulatim in oblivionem venisse, a paucis autem maxima cum pertinacia usque ad Pausaniae tempora servatum esse. —

[2]) cf. „sub Iove frigido“ — Hor. carm. I. 1, 25.

[3]) cf. Paus. VIII. 8, 2. Hesiod. Theog. vv. 459. 467. 497.

[4]) Apollod. bibl. III. 8, 1, 5.

[5]) cf. Lauer „Syst. der griech. Mythol.“ p. 168: „... Grade, wenn der Himmel alle Keime der Erde zu voller Reife gebracht, verschlingt er sie wieder ...“ I. Overbeck „Beiträge z. Erk. u. Krit. der Zeusreligion“ p. 98.

Deum igitur irascentem, ut qui solis ardoribus aridam sterilemque terram redderet, antiquissimis illis temporibus humano sacrificio placare studebant; unde paulatim variae illae fabulae profectae sunt, quas scriptores tradiderunt.

Etenim cum asperi hominum mores molliri atque mitigari coepti essent, barbaram consuetudinem illam, quam, ne Jovis iram concirent, abolere noluerunt, ea re excusabant, quod „δόγμα“ illud paulo mutatum tradebant:

II. Iovem Lycaeum filios vel filium immolavisse [Ζεὺς Λυκαῖος θύει (καὶ καταπίνει) τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας; vel τὸν ἑαυτοῦ παῖδα]. —
Itaque dici poterat ipse Iuppiter, qui factus est Lycaeus, deus terribilis, immane illud sacrificium instituisse[1]).

Deinde autem moribus iam lenioribus ea in re offendebant,
quod deus summus scelus tam nefarium commisisse putabatur;
quapropter Lycaeum, deum infestum et atrocem, a summo
III. Iove, deo benigno, disiungentes Lycaeum filium sacrificasse
dicebant. [Λυκαῖος θύει τὸν ἑαυτοῦ παῖδα.]

Quam religionis rationem cum amplecterentur, duas illas columnas tamquam insignia in monte Lycaeo aquilis ornatas erexerunt, alteram Iovis procreantis, alteram Lycaei, dei perniciosi. Antea enim ne signo quidem dei usi esse videntur[2]).

Tum vero moribus magis magisque ad humanitatem inclinantibus ad hanc processerunt opinionem nullum deum esse nisi bonum, iustum, omnibus denique virtutibus praeditum. Quocirca brevi dicere reformidabant deum Lycaeum trucidavisse filium; neque mirum est facinus illud deo indignum homini attributum esse. Atque ea de causa Lycaeus deus in Lycaonem hominem transfiguratus est.

Lycaon igitur, rex Arcadum antiquissimus, nemo alius est
nisi Iuppiter ipse in hominem deformatus, vel Iovis Lycaei hu-
IIII. mana effigies. Ideo tum ita rem narrabant: Λυκάων τῷ Λυκαίῳ

[1]) cf. H. D. Müller l. l. p. 22.

[2]) Quaestionem illam difficillimam, quaenam fuerit religio antiquissima cum Graecorum, tum omnium Indogermanorum, utrum unum deum initio coluerint, an plures, equidem, qui diiudicare ausim, longe absum. Sed tamen id monere liceat et eam Iovis Lycaei religionem et alias multas superstitiones, quibus duo vel plures dii ex uno eodemque numine orti et paulatim seiuncti esse videntur, opinioni eorum favere, qui unum initio deum ab hominibus cultum esse contendunt.

Διὶ θύει τὸν ἑαυτοῦ παῖδα· — et deinde tantam crudelitatem respuen-
tes: Λυκάων τῷ Λυκαίῳ Διὶ θύει παῖδα, vel, ut Apollodorus refert[1]), V.
„ἕνα τῶν ἐπιχωρίων παῖδα,“ vel, ut Pausanias[2]), „βρέφος ἀνθρώπου.“ VI.

Sed ne in hac quidem fabula acquieverunt, quandoquidem
homicidium puniendum crimen iis videbatur; et idcirco deum ipsum
laesae humanitatis ultorem esse voluerunt. Nec difficile ex nomi-
ne Lycaonis, quippe cuius divinam originem obliti essent, duci
potuit poena, qua deus illum affecisset[3]). De ea re Pausanias:
„καὶ αὐτὸν αὐτίκα ἐπὶ τῇ θυσίᾳ γενέσθαι λύκον φασὶν ἀντὶ ἀνθρώπου.“ VII.
Quae quidem fabula eo magis in promptu fuit, quod iam antiquitus vis illa naturae, qua incrementum herbarum deletur, — Iuppiter Lycaeus scilicet, cuius in locum in sacrificando puero postea Lycaon successerat, — voraci lupo similis esse videbatur[4]).

Recta autem esse ea, quae adhuc exploravimus, argumento sunt aliae Graecorum religiones fabulaeque, dico Iovis Laphystii, Iovis Actaei, Actaeonis.

Ac primum quidem Iovem Laphystium cum Athamante Minyeo, primo sive Iolci sive Orchomeni rege, artissime cohaerere res est notissima[5]). Etiam Iovi Laphystio humanas victimas immolatas

[1]) Apollod. bibl. III. 8, 1, 5. [2]) Paus. VIII. 2, 3.

[3]) Inde fortasse proverbium originem duxit: „*λύκος ἀετὸν φεύγει*“ ad quod Hesychius notavit: „*παροιμία ἐκ τῶν φευγόντων*.“

[4]) Fabulam de mutatione Lycaonis recentissimam esse etiam inde colligere licet, quod Apollodorus eam ignorans Lycaonem filiosque impios fulmine interfectos esse tradidit. Reliqua sane Periegetae narratio, quamquam ille fuit Apollodoro aetate posterior, tamen priorem formam habet. Nam apud Pausaniam de causa, qua commotus Lycaon Iovi puerum mactaverit, nihil legitur; quam quidem causam Apollodorus, vel quos secutus est auctores, quaerere non neglexerunt; quapropter fabulam excogitaverunt fabulae Tantali simillimam.

Dignum praeterea, quod moneam, etiam hoc videtur, quod illa Pausaniae voce „*φασίν*“ et, quae sequitur sententia, „*καὶ ἐμὲ ὁ λόγος οὗτος πείθει, λέγεται δὲ ὑπὸ Ἀρκάδων ἐκ παλαιοῦ*,“ (VIII. 2, 3, 4.) indicari censeo Periegetam eam de Lycaonis mutatione fabulam ab ipsis Arcadibus audivisse; Apollodorum contra poetarum et genealogorum fabulas conscripsisse notum est.

[5]) cf. Welcker „gr. Götterl.“ I. p. 205 sq. — Preller „griech. Myth.“ II[2]. p. 310: „Athamas ... ist das mythische Bild eines alten Zeusdienstes der thessalischen und böotischen Minyer, der mit dem des lykäischen Zeus in Arkadien grosse Aehnlichkeit gehabt haben muss“ ... Schwenck „gr. Myth.“ p. 20: „Bei den Athamanen war der Zeus Laphystius d. i. der Verschlinger ebenso der furchtbare, mit Menschenopfern gesühnte Lichtgott.“ — I. A. Hartung „Religion und Mythologie der Griech.“ III. p. 28 sq. — Overbeck

esse Herodotus[1]) et Minois dialogi auctor[2]) testes sunt. Difficillimus quidem perspectu mythus ille Iovis Laphystii est, quia annexa et valde ornata Argonautarum fabula Laphystii natura vetustissima obscurata est. Nihilo tamen minus Prellerus suo iure, puto, Iovi Laphystio Iovem Phyxium opposuit et hunc benignum et beneficum, illum perniciosum et letiferum esse coniecit[3]). Quae enim de Athamante narrantur, ea referenda esse existimo ad ipsum Iovem Laphystium. Itaque si traditur[4]): „Ἀθάμας .... μανεὶς ἐτόξευσε Λέαρχον (scil. filium ex Inoë partum) idem valere arbitror ac si symbolice dictum esset: Ζεὺς λαφύσσει[5]) τὸν ἑαυτοῦ παῖδα i. e. aestivo ardore delentur herbae plantaeque.

Summi autem momenti ad fulciendam meam de Iove Lycaeo opinionem fabulae religionesque sunt, quae de Actaeone iisque numinibus feruntur, quibuscum ille coniungitur[6]). Nomen Actaeonis derivandum videtur[7]) ab ἀκτίς (ἀκταίνω = αἴσσω, ᾄσσω, ἄσσω, rad. ἀκ); atque id eo praecipue verisimile est, quod Actaeon filius dicitur Maerae[8]) i. e. caniculae et dominus quinquaginta

---

l. l. p. 97: „... Zeus Lykaios und Laphystios, sichere Hitze- und Dürregötter ..." — Forchhammer „Hellenika" t. I. (Berolini 1827) p. 209: „Er (scil. Laphystius) ist der Gott des schlürfenden Aethers, der die Nässe der Erde aufschlürft." — 1) VII. c. 197.

2) Ps.-Plat. Min. p. 315 C. „... καὶ οἱ τοῦ Ἀθάμαντος ἔκγονοι οἵας θυσίας θύουσιν Ἕλληνες ὄντες!" — cf. Suchier „de victim. human." p. 16. — Ios. Beckers „de hostiis human. ap. Graecos" p. 35—38. — De Iove Laphystio eiusque fabulis cf. K. O. Müller „Minyer" p. 161 sqq. —

3) Preller „gr. Myth." II². p. 310 sq. — cf. ibid. I. p. 94. 112. — Hartung „Rel. u. Myth. der Gr." III. 28 sqq. 4) Apollod. I. 9, 2.

5) λαφύσσειν et λαφυγμός cum λαπάσσω et λάπτω coniungenda esse Overbeckius („Zeusreligion" p. 41, not. 99) docuit. In Hom. enim Iliad XI. v. 176. de leone legitur „... ἔπειτα δὲ θ' αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει." —

Opinionem hanc: „als winterlich finsterer Gott hiess er Laphystios" — Prellerus v. d. (gr. Myth II. p. 310) hodie, si viveret, ipse vix defenderet. cf. Overbeck l. l. 6) Cf. Overbeck „Zeusreligion" p. 40.

7) Hac in re vv. dd. Lauero („Syst. d. Myth." p. 198 [cf. p. 203]) et Overbeckio l. l. adstipulor contra Welckerum (gr. Götterl. I. 205 et opusc. tom. V. p. 36), qui a voce ἀκτή (scil. Δημήτερος ἀκτή) nomen herois derivari voluerat. —

8) Paus. X. 30, 5. — „Der weibliche Sirius" cf. Welckeri commentationem „Zeus Akraios, nicht Aktaios auf dem Pelion" inscriptam — in Gerhardi „Denkmäler und Forschungen" (diurn. archaeolog.) 1860 p. 14 sqq. —

Aliis veterum scriptorum locis Autonoe Actaeonis mater appellatur. Apollod. III. 4, 4. — cf. Corp. Inscr. Gr. No. 6126 B.

canum i. e. dierum canicularium. Notissima est fabula Actaeonem, cum in venando Dianam lavantem vidisset, ab ea in cervum mutatum et a rabidis quinquaginta canibus dilaceratum esse[1]). Sed iam inter omnes convenit fabulam illam principio multo simpliciorem fuisse, ita ut Actaeon a canibus dilaniatus tantummodo narraretur[2]).

Mythus autem ille ex omni parte perspicuus est vetere sacrificio et pompa, quam in Pelium montem Iovi Actaeo agebant. Sirio enim oriente adulescentes selectos et vestitos arietum pellibus villosis pompam ex urbe Demetria in Pelium duxisse Dicaearchus auctor est[3]). Apertum igitur est „Actaeum" Iovem hoc consilio eos oravisse, ut humidos ventos caelumque salubre precantibus tribueret. Vellera autem induebantur, quia insignia erant nubium, quas ab illo petebant; quapropter viri docti Jovem Actaeum deum lucis et caloris esse consentiunt[4]).

Atque sicuti ex Iove Lycaeo Lycaon, ita ex Iove Actaeo Actaeon heros profectus est[5]). Quod igitur de Actaeone narrabant, id in Iovem ipsum referri debet. Herbae enim et gramina oriente Sirio delentur; itaque cum deus lucis, quae vere procreaverat, aestate radiis (ἀκτῖσι) perdere videretur, Actaeo cognomen ei inditum est. Iuppiter igitur Actaeus initio deus lucis est et benignus et infestus. Benigno postea nomen Iovis soli

---

1) Apollod. III. 4, 4. Ovid metam. III. v. 143—252. Hygin fab. 180. 181.

2) „Aktäon musste der Hunde wegen zum Jäger werden, und warum seine Hunde ihn zerrissen, dies motivirte nun der Mythus auf die verschiedenste Weise, nach dem einen oder anderen Gedanken durch verschiedene Göttinnen." Welcker diurn. arch. l. l. — cf. Overbeck l. l. p. 40.

3) Dicaearchi fragm. de Pelio — in C. Mülleri fragm. hist. Gr. vol. II. 262. — cf. Hartung „Rel. und Myth. der Gr." III. p. 9 sqq. —

Welckerus l. l. commentatione, quam equidem plane comprobo, contra Starckium (in Gerhardi „Denkm. u. Forsch." 1859 p. 92) et Prellerum (gr. Myth. I² p. 112 not. 1 et p. 359) „Actaeum" Iovem defendit. Antiquissimis enim temporibus, quamdiu pompa illa molestissima in Pelium, quinque milium pedum montem, ageretur, ibi revera Iovem „Actaeum" honoratum, postea vero remota ab usu pompa, cum paullatim, quae illa in monte religio fuisset, oblivisceventur, nomen Iovis „Actaei" aliunde ignotum in „Acraeum" mutatum esse suo iure adserit. — Welckero hac in re Overbeckius plane assentitur. cf. „Zeusreligion" p. 40.

4) Overb. l. l. — H. D. Müller (progr. Gott.) p. 26. — Welcker l. l. et eiusd. auctoris „gr. Götterl." I. p. 205. — Lauer „Syst. d. Myth." p. 203.

5) Cf. H. D. Müller l. l. — K. O. Müller „Minyer" p. 349.

proprio tribuitur, infesto Actaei. Brevi autem ex Actaeo a Iove seiuncto persona humana Actaeonis oritur et cum eius nomine coniunguntur fabulae deinceps variatae, ita ut, qui initio deus infestus fuerat, postremo vel ipse interemptus sive dilaniatus dicatur.

Quod non mirabimur, si etiam Lycaonem paullatim in mytho plane aliam naturam induisse meminerimus: initio enim et ille quidem deus est perniciosus; apud Pausaniam homo impius, qui puerum mactavit; apud Apollodorum iam socios et participes sceleris illius habet filios; apud Nicolaum autem Damascenum ipse pius est, sed filii nonnulli sunt scelesti. Sed Actaeonis mythus longius processit quam Lycaonis. Quam vero finitimae sint fabulae illae etiam inde cernitur, quod Lycaoni quinquaginta filii tribuuntur, qui numero Actaeonis canibus respondent[1]).

Quibus leviter tantummodo perstrictis magis quam peractis proximum est, ut de Aristaeo disseram. Quem quidem in Cycladibus insulis, prae ceteris Ceae, deum honoratum esse luculentissimus testis est scholiasta ad Apollonii Rhod. lib. II. v. 498[2]): „. . . . Τοῦ κατηστερισμένου κυνὸς φλέγοντος τὰς Κυκλάδας νήσους καὶ πολὺν χρόνον αὐχμοῦ τε καὶ ἀπορίας οὔσης, οἱ τὴν Κέω κατοικοῦντες ἐκ θεοπροπίου ἐπεκαλέσαντο Ἀρισταῖον, τὸν Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης, τῆς Ὑψέως, ἐκ Φθίας. Ὁ δὲ παραλαβών τινας ἐξ Ἀρκαδίας ἦλθεν εἰς Κέω καὶ Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο Ἰκμαίου, ἕνεκα τοῦ τοὺς ὄμβρους γίνεσθαι [καὶ τοὺς ἐτησίας πνεῖν]. καὶ τὸν κύνα ἐξιλάσατο. καὶ ἐνομοθέτησε κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Κείοις μεθ' ὅπλων ἐπιτηρεῖν τὴν ἐπιτολὴν τοῦ κυνὸς καὶ θύειν αὐτῷ. Ὅθεν οἱ ἐτησίαι πνέουσι καταψύχοντες τῷ θέρει τὴν γῆν ...... ἐτησίαι ἔπνευσαν Ἀρισταίου αἰτησαμένου ...... Καὶ κατακαλεσάμενος τοὺς ἐτησίας Ζεὺς Ἀρισταῖος ἐκλήθη[3]) καὶ Ἀπόλλων Ἀγρεὺς (Ἀγυιεὺς) καὶ Νόμιος . . . .

[1]) Apollod. bibl. III. 8, 1 et III. 4, 4. — Apud Hyginum (fab. 181) uni ex Actaeonis canibus nomen Arcadis inditum est. — cf. H. D. Müller (progr. Gotting.) p. 27 sq. et 30.

[2]) C. Müllerus (fragm. hist. Gr. tom. IIII. p. 319) id scholion ex Ariaethi Tegeatae „Arcadicis“ desumptum esse opinatur. — De Aristaeo deo cf. Preller „griech. Myth.“ I². p. 356 sqq. Lauer l. l. 197 sq. „. . . Aristaios, der selbst nur eine beschränkte Fassung des Zeus ist.“ . . . Welcker opuscula tom. III. p. 34. — Hartung l. l. III. p. 11.

[3]) Cf. Pausan. VIII. 2, 4. — Apud Apollodorum III. 4, 4 Aristaeus pater Actaeonis appellatur.

Τινὲς δὲ τέσσαρας Ἀρισταίους γενεαλογοῦσιν ὡς καὶ Βακχυλίδης τὸν μὲν Καρύστου, ἄλλον δὲ Χέρωνος [Χείρωνος P.], ἄλλον δε Γῆς καὶ Οὐρανοῦ· καὶ τὸν Κυρήνης[1]).“

Iam apparet hic quoque ex Iove Aristaeo Aristaeum hominem factum esse, de cuius parentibus alii alia commenti sunt; eam autem genealogiam, qua Urani (sive Caeli) et Telluris filius Aristaeus significatur, omnium esse gravissimae auctoritatis neminem fugiet; quapropter eo minus dubitari posse censeo, quin heros in Iovis Ἀρισταίου vel ἀρίστου[2]) locum successerit.

Eundem vero Aristaeum antiquissimis temporibus Arcadibus quoque non ignotum fuisse pauca quidem testimonia ac tenuissima vestigia supersunt, sed omnino non refutanda. Apud Servium enim haec exstant[3]): „Aristaeum invocat, i. e. Apollinis et Cyrenes filium, quem Hesiodus dicit Apollinem pastoralem . . . . Huic opinioni Pindarus refragatur, qui eum ait de Cea insula in Arcadiam migrasse ibique vitam coluisse. Nam apud Arcadas pro Iove colitur, quod primus ostenderit, qualiter apes debeant reparari.“ — Et Iustinus[4]) fabulam tradidit, quam secutus „Aristaeum in Arcadia late regnasse“ scripsit[5]).

[1]) Qua de causa et qua ratione Iuppiter Lycaeus a Cyrenensibus cultus sit, in eam rem inquirere non est huius loci. Id autem monere liceat cum genealogia ab Apollonii Rhod. scholiasta in medium prolata, tum loco Herodoteo (l. IIII. c. 203), quo litoris Iovis Lycaei in Cyrenaica terra mentio fit, satis demonstrari illam religionem Arcadicam aliqua necessitudine cum Cyrenensibus coniunctam fuisse. — Scholiasta Apollonii l. l. in Ceam insulam Arcades immigravisse commemoravit. Veri est simillimum eo loco veterem incolarum memoriam de advenis Arcadicis nobis servatam esse. Arcades autem aliquando navigationis non ignaros fuisse pro certo habemus. cf. Paus. VIII. 4, 9. 5, 8. 14, 10. Dionys. Hal. I. 11. — Vide de ea re E. Curt. Pelop. I. p. 167 et 181 not. 23. —

[2]) Pindari Pyth. VIIII. v. 65. — Hom. Il. XVIIII. v. 258. — Etiam Cicero de nat. deor. III. 18, 45. Aristaeum in deorum numero posuit. cf. eiusd. de divinat. l. I. 57, 130. — Paus. VIII. 2, 4. — Odofredi Mülleri „Minyer“ p. 348, „prolegg.“ p. 196. „Dorier“ I¹. p. 281. — H. D. Müller (progr. Gott.) p. 26.

[3]) Serv. ad Vergil. Georg. l. I. v. 14. Cf. Probi commentar. ad eund. loc.

[4]) Iustin. histor. Philippicae l. XIII. c. 7.

[5]) Qua ratione Diodori Siculi (IIII. 81, 82) narratio, Apollini et Cyrenae fuisse filios tres, Nomium, Aristaeum, Agreum, accipienda sit, in propatulo est. Ibi enim relata est opinio eorum, qui ex Apollinis cognominibus maxime usitatis prolem finxerunt.

Atque Apollinem, celeberrimum illum Dorum deum, in Aristaei, veteris illius numinis Pelasgici, locum successisse, eique postea *Ἀρισταίου* cognomen

Iis igitur rebus Aristaeum, cuius religio posteris plane in oblivionem venisse videtur, aliquando in summo honore apud Arcades fuisse puto constare. Rex enim traditur fuisse, sicuti Lycaon, et „apud Arcadas pro Iove colitur“ aeque ac Lycaon vel Lycaeus Iuppiter. Utram Iovis naturam Aristaeus maxime illustraverit, cum nomen tum fabulae eius clarissime indicant[1]). Quapropter non dubito Aristaeum Lycaonis contrarium vel adversarium, Iovem benignum accipere[2]).

Uterque enim me iudice unius eiusdemque Iovis est persona, Aristaeus benigni[3]), Lycaeus vel Lycaon infesti. Qua ratione in prisco illo Iovis Arcadici cultu superesse puto vetustissimae Indogermanorum religionis reliquias. Quis enim est, qui eam Arcadum religionem finitimam esse neget superstitioni et veterum Iranorum, qui Ormuzd vel Ahuramazda et Ahriman vel Angramainyus, hunc infestum, illum benignum deum honorabant[4]), et

inditum esse vix quisquam neget. cf. Stark „über die Epochen der griech. Religionsgeschichte“ in actis XX. consessus philologorum — Francofurti ad Moenum 1861 (publici iur. factis Lipsiae ap. Teubn. 1863) p. 59: „Voran steht erstlich die pelasgische Welt mit der herrschenden väterlichen Macht eines Vaters im Lichthimmel . . . .“

Overbeck „Beiträge z. Erk. u. Kr. der Zeusreligion“ p. 23: „Die Eltern, die Genealogien sind in allen Fällen jünger als die Götter“ . . .

1) Apud Pindarum si legimus (Pyth. VIIII. v. 64. sq.)
„Ζῆνα καὶ ἄγνον Ἀπόλλων', ἀνδράσι χάρμα φίλοις, ἄγχιστον ὀπάονα μήλων,
„Ἀγρέα καὶ Νόμιον, τοῖς δ' Ἀρισταῖον καλεῖν“ — inde opinari licet Aristaeum fuisse numen, in quo Iovis et Apollinis naturae coniunctae viderentur. Atque etiam veri est simillimum in Aristaeo, prisco illo deo Pelasgico, coniuncta olim fuisse, quae Graeci postea pluribus diis, Iovi, Apollini, Pani, Baccho tribuerunt. Vide Welckeri locum („griech. Götterl.“ I. p. 487—491), quo, quae veteres de Aristaeo tradiderunt, optime composita invenies.

2) Ea, quae de Aristaeo exposui, iam Odofredus Müllerus opinatus esse videtur haec disputans: „Was aber Aristäos betrifft, so ist gar nicht zu bezweifeln, dass er bei Weitem älter sei, als seine angebliche Mutter (scil. Cyrene). Er ist ja der milde Gott der Heerden, der Bienenzucht, des Wildes, des Oliven- und Weinbaus, aller fruchtbaren Ackerländer, ursprünglich Ζεὺς Ἄριστος, dann auch Ἀπόλλων Νόμιος und Ἀγρεύς, eine uralte Gottheit Arkadiens, von wo die Parrhasier seinen höchst feierlichen Dienst nach der kykladischen Insel Keos hinüber getragen haben ...“ (Minyer p. 348) cf. „Dorier“ tom. I[1]. p. 281. — Sed cum rem tangeret magis, quam demonstraret, haud facile multis persuasit. Quod haud scio an mihi felicius contigerit.

3) Altera igitur in monte Lycaeo columna Aristaeo deo dedicata, vel eius signum erat. cf. supra p. 10. 12., infra p. 38.

4) cf. E. Curtii „griech. Geschichte“ tom. I[4]. p. 46.

veterum Romanorum, qui Iovis O. M. contrarium putabant Vediovem iniquum[1]).

Quae mea de Aristaeo sententia fulcitur hac Arcadum fabula, Ceorum mytho simillima: scilicet cum ardentissimo aestatis tempore germina emorerentur, „pabula canescerent, cum frondibus urerentur arbores[2]),“ tum Iovis Lycaei sacerdotem precatum sacris legitimis factis ramo quercus aquam Hagnus fontis attingere; quod cum fecisset, statim nebulam oriri, ex qua celeriter densata et cum aliis nubibus coniuncta magnum imbrem effundi[3]). Ecce eadem pluviae obsecratio, propter quam Cei Aristaeum venerabantur[4]).

Illi autem Aristaeo consecratum fortasse fuit sacellum, quod Pausanias prope Helissunta flumen vidit iuxta viam ex urbe Megalopoli in Maenalorum fines ducentem. „. . . . ἔστι τῆς ὁδοῦ ἐν ἀριστερᾷ Ἀγαθοῦ Θεοῦ ναός[5]).“ Periegeta ipse Iovis illud esse sacrum coniecit, fortasse non sine antiqua aliqua Maenalorum memoria; nam siquidem di bona hominibus largirentur, Iuppiter vero deorum esset summus, facile concludi posse ait cognomine illo „Ἀγαθοῦ“ Iovem ipsum indicari. Atque etiam Ernestus Curtius illo templo memoriam veteris Pelasgorum religionis ex antiquissimis temporibus servatam esse arbitratur[6]). Quae si recta sunt, quin Iovis fuerit Aristaei sacrum, vix dubitari poterit.

1) Festum Vediovis diem (Agonalia) Romani egerunt a. d. XII. Kal. Iun. (cf. Mommsen „röm. Gesch.“ I[5]. p. 164); neque fortuito factum censeo, ut eodem fere tempore ludi quoque Lycaei celebrari soliti sint. cf. infr. p. 23.

Gemmae nummique nonnulli exstant veteres, in quibus duo spectantur Ioves. Overbeckius („griech. Kunstmythologie“ tom. II. p. 257 sq. cf. ibid. tabulam gemmarum III. No. 6) de eorum interpretatione desperavit. Fortasse duplici Iovis natura, quam in deo Arcadico exposui et quae etiam in aliis Iovis religionibus invenitur (cf. supra p. 14), geminae illae imagines declarari possunt. Sane quidem certi nihil statui potest, nisi unde illae gemmae oriundae sint, investigavissemus, quod non est huius loci.

2) cf. Ovidii metam. lib. II. v. 212.

3) Pausan. VIII. 38, 4. cf. E. Curt. Pelop. I. p. 308.

4) Fabulam illam Arcadum ad tempora antiquissima pertinere patet. cf. Overbeck „Zeusreligion“ p. 39.

5) Pausan. VIII. 36, 5. — Schroeter „Beiträge zur Erklärung der Mythen des Alterthums“ (progr. gymn. — Ponte Saravi 1838) p. 21 templum illud non Iovis sed Panis fuisse sacrum coniecit. Quae opinio meae non adversa est. cf. infra p. 34.

6) E. Curt. Pelop. I. p. 314: „... wie es scheint, das Denkmal eines sehr alten pelasgischen Gottesdienstes“ ...

Praeterea altero loco Aristaei religionis reliquias superesse Odofr. Müllerus coniecit, qui Apollinem Parrhasium vel Pythium in monte Lycaeo initio fuisse Aristaeum autumavit[1]). Eundem deum Müllerus etiam Νόμιον appellavit[2]). Sane igitur concedendum est eas Mülleri sententias, quae vel inter se pugnare videantur, nil esse nisi coniecturas. Tamen virum illum clarissimum, ut in multis aliis rebus, etiam hic rectum vidisse puto, quamquam argumentis ubique certis rem ad finem perducere difficillimum est. Νομίου autem cognomen eodem iure Aristaeo tribuitur, quo Apollini et Pani. Sed etiam Welckerus Müllero consentire videtur, cum Apollinem in Arcadia neque antiquum esse deum, neque multis locis occurrere dicit[3]).

Ceterum Iovis Lycaei cultum priscis Peloponnesi incolis, qui vulgo Pelasgicae stirpi adnumerantur, fuisse communem pro explorato habemus[4]); unde etiam Lycaon Pelasgi filius perhibetur[5]). Atque ea Iovis religio per maximam Peloponnesi partem antiquitus in summo honore fuisse videtur, quamquam postea per deos Dorum obscurabatur. Cum vero Lacedaemoniorum imperium minutum esset et Achaeorum foederatae civitates dominationem maximae Peloponnesi partis obtinerent, etiam dii eorum ad priorem dignitatem elati sunt et Iuppiter ille antiquus foederis deus tute-

---

[1]) Pausan. VIII. 38, 2 et 8. — cf. O. Müller „Dorier" I[1]. p. 200 sq. not. 2: „... der Pythios oder Parrhasios am Lykäon ist wohl eigentlich Aristäos." — Apollini enim illi in monte Lycaeo fanum erat postea *Πύθιον* nominatum. — cf. Boeckh C. J. Gr. No. 1534. „*Πύτιον*" ibi scriptum est v. 13.

[2]) O. Müller l. l. p. 281 n. 4: „der Apollo Parrhasios am Lykäon ist ursprünglich der Nomios."

[3]) Welcker „griech. Götterl." I. p. 455. cf. ibid. p. 488 sq. — Deimling „Leleger" p. 102 „... Ebenso stimme ich mit Müller überein, wenn er den Apollonkult den Pelasgern abspricht."

[4]) cf. E. Curtius „griech. Gesch." I[4]. p. 47 ... „Dieser pelasgische Gottesdienst..." Idem in Pinderi et Friedlaenderi „Beiträge zur älteren Münzkunde" I. p. 85: „... die heilige Höhe der Arkader, die älteste Opferstätte des pelasgischen Zeus." Id. Pelop. I. p. 164. 278 sq. — Welcker „Götterl." II. 236 Iovem Lycaeum „den altpelasgischen Zeus" appellavit. — Praecipue is Iovis Lycaei cultus Parrhasiorum fuit cf. Bursian „Geographie von Griechenl." II. p. 235: „Am Lykäon berührte sich das Gebiet der Kynurier mit dem der Parrhasier, welche auf dem ‚heiligen Gipfel' dieses Gebirges ihr altes Stammheiligthum, die Cultstätte des Lykäischen Zeus hatten."

[5]) Paus. VIII. 2, 1.

laris honorabatur. Quae quidem res inscriptione nuper publici iuris facta clarissime probatur[1]). Cui tabulae Orchomeni in Arcadia inventae, anno CLXXXXVIIII. a. Chr. n. exaratae pactum foederis inscriptum est, quod Orchomenii cum Achaeis inierunt et iureiurando sanxerunt hoc sacramento ex convento usi: „ὀμνύω Δία 'Αμάριον, 'Αθάναν 'Αμαρίαν, 'Αφροδίταν καὶ τοὺς θεοὺς πάντας." .. In ea igitur tabula cognomen Iovis aliunde adhuc paene ignotum obviam fit; nec quisquam dubitabit, quin Waddington recte divina-

---

[1]) cf. Le Bas et Waddington — voyage archéologique en Grèce et en Asie Mineure — partie II. section VI. No. 353. — cf. ibid. pag. 223 sq. —

Inscriptio ea etiam alia de causa maxime est memorabilis, quod rectissime Waddington (p. 224) monuit. In codicibus enim omnibus mss. Polybii et Strabonis „*Αἰνάριος*," „*Ἀρνάριος*," „*Ὁμάριος*" legimus, quas quidem formas plurimi frustra tentaverunt viri docti, pauci recte emendaverunt. Quarum quae fuerit genuina forma, nunc hac ipsa inscriptione docemur, ita ut „*Ἀμάριος*" vel „*Ἁμάριος*" omnibus illis locis reponendum videatur. — Egregie igitur Welckeri coniectura confirmatur („episch. Cykl." I. p. 128) apud Strabonem VIII. 387 sic legentis: „*τὸ τοῦ Διὸς ἄλσος τὸ Ἁμάριον*. Deinde etiam Kramerus ap. Strab. VIII. 385 eam formam restituit, Meinekius utramque recepit. — cf. E. Curt. Pelop. I. p. 488 n. 5. — Welcker „gr. Götterl." II. 207. Etiam apud Polybium II. 39, 6 et V, 93, 10 „*Ἁμαρίου*" et „*Ἁμάριον* (pro *Ὁμαρ*..) legendum esse puto. —

De Iovis autem cognomine „*Ὁμαγύριος*," quod apud Pausaniam duobus deinceps locis occurrit (VII. 24, 2 et 3), adhuc contentio est. Waddington enim etiam illud tollendum et „*Ἁμάριος*" restituendum esse arbitratus est, homines sono usos subrustico „*Ὁμάριος*" (pro „*Ἁμάριος*") pronuntiavisse coniciens; quam vocem, cuius originem postea iam non perspicerent, decurtatam vel correptam esse formam vocis „*Ὁμαγυρίου*" falso eos putavisse. — Qua de coniectura certe dubitari potest, cum illo Pausaniae loco (VII. 24, 3) Cereris quoque „*Παναχαιᾶς*" templum Aegii, in urbe Achaiae, memoretur, ut verisimile sit iis ipsis cognominibus *Ὁμαγυρίου* et *Παναχαιᾶς*, quibus idem fere sensus subest, Iovem et Cererem significari deos Achaeorum communes. Quod Riccardus Foerster, professor nunc Rostochiensis, optime de me meritus, coniecturae illi litteris ad me datis opposuit. — Sed antea (VII. 24, 2) Pausanias in Iovis „*Ὁμαγυρίου*" templo Aegii statuas se vidisse ait Iovis, Veneris, Minervae. Iidem igitur di coniuncti occurrunt, quos inscriptione supra memorata deos esse tutelares foederis Achaeorum cognovimus, quapropter cognomen ex tabula notum illi Iovi tribuendum censeo. Itaque mihi quidem coniecturam Francogalli illius celeberrimi valde arridere profiteor, et quamquam ipse Overbeckius („gr. Kunstmyth." II. p. 219) id cognomen adhuc retinuit, quod neque in nummis creberrimis foederatarum urbium, neque in titulis, neque aliis veterum scriptorum locis (praeter illum Pausaniae locum mihi quidem suspectum cf. p. 40. thesin IIII.) exstat, tamen non dubito, quin Juppiter „*Ὁμαγύριος*" plane de medio tollendus sit. —

verit vocem illam „'Αμάριος“ derivandam esse ab „ἀμάρα,“ quae est forma aeolo-dorica pro „ἡμέρα.“ Qua de causa suo iure: „'Αμάριος, inquit, est donc le dieu de l'atmosphère lumineuse.“

Videre igitur licet Δία 'Αμάριον esse deum lucis, ita ut et 'Αμάριος et Λυκαῖος cognomina sint unius numinis non solum ab Arcadibus sed etiam a plurimis Peloponnesi incolis veteribus summo opere honorati. Simul autem cognoscitur quam finitimus sit ille deus vetustissimus Peloponnesiorum Italorum Iovi Lucetio vel Diespitri; luce enim clarius est Iovem 'Αμάριον eundem esse ac Diespitrem et Λυκαῖον eundem ac Lucetium[1]).

His peractis iam videbimus, quae praeterea de Iove Arcadico scitu digna sint.

Sacros illos et vetustissimos ritus per saecula vel usque ad Pausaniae aetatem mansisse supra ostendimus[2]). Qua autem ratione temporibus posterioribus illud sacrum commiserint, ex Plinio cognoscimus, qui magnopere fabulam miratur, quam apud Scopam legit[3]): „Demaenetum Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Iovi Lycaeo humana etiam tum hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse et in lupum se convertisse, eundem X. anno restitutum athleticae [esse] et in pugilatu victorem Olympia reversum.“ Unde concludendum est[4]) festo Iovis Lycaei die puerum deo mactatum et extorum eius partem aliarum victimarum carni immixtam esse. Quam partem qui in epulis sacrificalibus degustaverat, is in exsilium missus ac prioribus quidem temporibus in lupum conversus esse putatus est. Decimo demum anno reditus ei concessus est.

---

1) Macrob. Sat. I. 15, 14 „... Nam cum Iovem accipiamus lucis auctorem unde et Lucetium Salii in carminibus canunt et Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocant, ipsi quoque Romani Diespitrem appellant ut diei patrem ....“ cf. Paul. Festi epit. p. 114. — Preller „röm. Myth.“ ed. II. p. 139. 168. —

2) cf. supra p. 4 sq.

3) Plin. nat. hist. l. VIII. c. 22. §. 82. — Eandem fabulam Pausanias tradidit VI. 8, 2. Ubi Parrhasio illi non Demaeneto sed Damarcho nomen est. — cf. Varro ap. Augustin de civ. dei XVIII. c. 17.

4) cf. Welckeri commentationem: „Lykanthropie ein Aberglaube und eine Krankheit“ — in opusculis tom. III. p. 157 sqq.

Similes mores etiam apud alios populos in usu erant, quod Germanorum fabulae de iis, quos „Werwölfe“ appellabant, satis docent. Cf. Simrock „Handbuch der deutschen Mythol.“ ed. IIII. p. 541: „Der Verbannte heisst ‚Wolf im Heiligthum.‘ Er darf dem Heiligthum nicht mehr nahen, das er geschändet hat; wie der Wolf flieht er in den Wald.“

Praeter sacrum illud immane deo Lycaeo vetustiore quidem aevo ludi celebrabantur, quos una cum sacrificio Lycaon ipse instituisse dicebatur. Qui quo fuerint in honore non solum apud Arcades sed etiam apud ceteros Graecos ex nonnullis Pindari locis cernitur[1]). Arcades autem etiamtum eos ludos agebant, cum stipendia merentes in alienis terris versarentur. Cuius rei argumento sunt illi, qui cum Cyro Minore contra Artaxerxem profecti Peltis, ubi exercitui triduum ad quiescendum datum est, Xenia auctore sacra Lycaea fecerunt ludosque celebraverunt[2]). Locus autem ille Xenophonteus etiam hac de causa memorandus est, quia inde efficere possumus, quo fere anni tempore ludi illi sollemnes acti sint. Quies enim illa trium dierum Peltis erat a die itineris XXXXVII. ad L., vel a die CXXXV. ad CXXXII. ante proelium ad Cunaxam commissum[3]). Cum autem Cyrum ineunte vere iter suscepisse et initio mensis Septembris cum Artaxerxe pugnavisse constet[4]), ludi Lycaei initio Maii mensis agebantur[5]). Praemia autem certaminis coronae aureae[6]) vel tripodes aënei erant[7]).

Quae praeterea de Iove Lycaeo eiusque satellitibus traduntur, minoris sunt momenti. Lycaei enim montis verticem Arcades postea etiam Olympum nominabant[8]); cum enim posteriore tempore Iuppiter in Olympo regnare crederetur, idem cognomen etiam Lycaeo monti antiquitus Iovis sacro tribuerunt. Unde quoniam iure quodam Iovem suum Lycaeum etiam Olympium appellare poterant, illius imaginem in nummis cudendis Arcades

---

1) Pind. Ol. VIIII. v. 96. XIII. v. 108. Nem. X. v. 48. cum scholl. — cf. Simonidis fragm. 155 v. 8. (ap. Bergk. poet. lyr. Gr. p. 1177.) — cf. Boeckh. C. J. G. No. 2374 lin. 30. 31. ibid. No. 1431. 1715. 1515: „Λύκαια ἄνδρας δόλιχον...“ — Deus Lycaeus etiam ideo clarus fuit apud omnes Graecos, quia refugium praebebat inviolatum iis, qui ad eum confugerant. Pleistoanax quidem, ut uno exemplo defungar, rex Lacedaemoniorum, proditionis a civibus accusatus, per annos XVIIII in asylo Lycaeo moratus est. cf. Thucyd. V. 16, 3.

2) Xenoph. Anab. lib. I. c. 2. §. 10. 3) Ibid. I. c. 1—8.

4) Cf. E. Curtius „griech. Gesch.“ III[3] p. 134. 136.

5) Cf. supra p. 19. n. 1.

6) „στλεγγίδες χρυσαῖ“ — Xenoph. Anab. I. 2, 10.

7) Cf. Polemonis Iliensis fragm. 26. ap. Müller. fragm. hist. Gr. III. p. 123.

8) Pausan. VIII. 38, 2. Etiam „Ἱερὰν κορυφὴν“ eum montem Arcades appellabant. Paus. l. l.

posteriores usurpabant[1]). Atque simili modo Cretensibus, qui in insula Creta Iovem natum esse dicebant, locum quendam in monte Lycaeo Arcades opposuerunt „Κρητέα“ nominatum, quo deum educatum esse[2]), et Theisoam, Nedam[3]), Hagno nymphas eius fuisse nutrices narrabant. Nec procul aberat Λούσιος flumen, quod nomen accepisse ferebatur, quia Iuppiter infans modo natus ibi lavatus esset[4]).

Praeter ea, quae memoravi, fana in monte Lycaeo et in foro Megalopolitano[5]) Pausanias tertium vidit Iovis Lycaei sacrum in via, quae ex Laconia per Gareatarum pagum Tegeam ducit[6]). Ibi enim aras fuisse, alteram Iovis Lycaei, alteram Panis[7]), et reliquias templorum; sed praeterea nihil de iis tradidit, quapropter veri est simillimum iam Pausaniae temporibus ibi sacrorum usum abolevisse, ita ut templis collapsis vix ulla religionis illius memoria superesset. Nihilo tamen secius in Tegeatarum finibus Iovem cultum et honoratum esse certum est. Periegeta enim narravit[8]) Tegeae fuisse „χωρίον . . ὑψηλόν, ἐφ' οὗ καὶ οἱ βωμοὶ Τεγεάταις εἰσὶν οἱ πολλοί·“ „καλεῖται μὲν (Paus. pergit) Διὸς Κλαρίου, δῆλα δὲ ὡς ἐγένετο ἡ ἐπίκλησις τῷ θεῷ τοῦ κλήρου τῶν παίδων ἕνεκα τῶν 'Αρκάδος. ἄγουσι δὲ ἑορτὴν αὐτόθι Τεγεᾶται κατὰ ἔτος . .“

---

1) cf. E. Curt. in Pind. et Friedl. „Beiträge“ ect. p. 85. — Idem in nuntiis menstr. academ. reg. Berol 1869 p. 472. — Overb. „gr. Kunstmyth. II. p. 106. Hic praeterea iuvabit commemorare Iovem Lycaeum semper sine imagine honoratum tamen posterioribus temporibus ab artifice quodam fictum videri. Restat enim simulacrum aëneum (in museo Bonnensi nunc servatum) Iovis pelle lupina vestiti teste Overbeckio l. l. II. p. 266 sq.

2) Pausan. VIII. 38, 2. 3. — 36, 3. — cf. Callimach. hymn. in Iov. v. 4 sqq.

3) Megalopoli in mensa imaginibus ornata Pausanias (VIII. 31, 4) Nedam vidit, quae Iovem puerum manibus tenebat, deinde Anthraciam cum face, tertiam Hagno cum amphora et phiala. Cum autem illo loco nulla ante nymphae face ornatae mentio facta sit, verba „*καὶ αὕτη δᾷδα ἔχουσα*“ sine dubio recta non sunt. Pro „*αὕτη*“ fortasse „*Γλαύκη*“ scribendum esse facile intellegitur ex loco VIII. 47, 3.

4) Pausan. VIII. 28, 2. — cf. Welcker „gr. Götterl.“ II. p. 234 sqq. Overbeck „Zeusreligion“ p. 22. not. 43. —

5) De eo Iovis Lycaeo fano fortasse tribus Megalopolitana („*Λυκαεῖται*“) nominabatur. cf. Le Bas — Waddington — voyage archéol. partie II. sect. VI. p. 181 — (ad inscript. No. 331b): „. . . il est probable que les *Λυκαεῖται* étaient les habitants du quartier dans lequel s'élevait le temple de Zeus Lycaeos. Il est situé dans le voisinage de l'agora.“ Paus. VIII. 30, 2.

6) Paus. VIII. 53, 11. 7) cf. infra pag. 33. 8) Paus. VIII. 53, 9.

Eam autem fabulam a Pausania traditam, qua Iovis Κλαρίου[1]) cognomen interpretari studebant, ut credibilem putet, vix cuiquam persuadebitur. Nam inter omnes constat[2]) Arcadem personam esse fictam neque minus commenticia ea, quae de Arcadia inter illius filios divisa tradebant. Qui autem fuerit sensus cognominis „Κλαρίου“ Iovis Tegeatici Boeckhius V. C. rectissime intellexisse videtur[3]). In inscriptione enim Tegeae inventa laudantur Tegeatae, qui Olympia vicerunt. Ii autem victores quattuor Tegeatarum tribubus adnumerati sunt. Tribus vero Pausanias[4]) commemoravit has: „Κλαρεῶτις, 'Ιπποθοῖτις, 'Απολλωνιᾶτις, 'Αθανεᾶτις,“ quibuscum nominibus inscriptionis nomina congruunt. Atque plane Boeckhio adstipulor haec disserenti[5]):

„Κραριῶται (sive Κλαριῶται) fuerunt, qui fundos (κλήρους) certis legibus exercebant, inferioris olim condicionis homines, quales Cretensium Clarotae, quos a fundis appellatos esse recte monuit Müllerus (Dor. tom. II. p. 53), quales praeterea Helotes Spartanorum, Penestae Thessalorum, alii. Arcades enim olim Helotibus similes προσπελάτας habuisse docet Theopompus ap. Ath. VI. p. 271 E. Denique Tegeaticos Clarotas initio eadem fuisse condicione, qua Creticos, potest etiam inde colligi, quod insignes Cretae urbes Cydonia, Gortys, Catre a Tegeatae filiis dictae feruntur. (Paus. VIII. 53, 4.) Sed Tegeae illi Crariotae posthac iam cives sunt.“ — Atque ea Boeckhii sententia fabulis quibusdam Tegeaticis comprobatur. Non enim dubitari potest, quin verum sit, quod traditur, Tegeam urbem simili quondam ratione, qua Athenas, ex pluribus vicis vel pagis tamquam concrevisse, qui iam ab Aleo rege in unam civitatem consociati et coniuncti essent[6]). Aleus autem filius dicitur Aphidantis, qui

---

1) *Κλαρίου* cognomen, Apollini quidem saepius tributum, Iovis excepto hoc Pausaniae loco bis tantum occurrit. Aeschyl. Suppl. 360 et Eustath. ad Dionys. Perieg. 443. — Aeschylus autem eo usus est, ut Iovem significaret eum, qui suam cuique fortunam tribueret, et Eustathius tradidit fuisse, qui Iovis *Κλαρίου* oraculi in urbe Claro (prope Colophona in Ionia sita) mentionem fecissent. Quod Iovis et Apollinis *Κλαρίου* confusione factum videtur. Apollinem *Κλάριον* laudaverunt Callimachus (hymn. II. v. 70), Strabo (XIIII. 642), Vergilius (Aen. III. 360), alii.

2) Cf. Schwenck „Myth. d. Gr.“ p. 36. Welcker „Götterl.“ II. p. 205.

3) C. I. Gr. No. 1513.

4) Paus. VIII. 53, 6. — cf. Curt. Pelop. I. p. 256 sq. 272 not. 25.

5) l. l. 6) Pausan. VIII. 45, 1. cf. Strabo VIII. 337.

octo pagis (δήμοις) terrae Tegeaticae nonum addiderat[1]). Quam quidem narrationem Curtius recte perspexisse videtur, cum Aphidantem ducem (vel rectius „heroem eponymum") fuisse diceret gentis bellicosae, quae terra Tegeatica expugnata dominationem ibi constituisset[2]). Tum qui antea terram incoluerant, in ditionem Aphidantium venerunt et Clarotae vel Κραριῶται facti sunt eorumque Iuppiter, quem colere non desierunt, Clarotarum deus vel „Ζεὺς Κλάριος" appellatus est[3]).

Paullatim autem gens subacta et domita aequum ius nacta est, ut verisimile sit focum Arcadum communem, cuius Pausanias mentionem fecit[4]), fuisse aram, in qua gentes diversae originis in urbem Tegeam consociatae atque coniunctae diis communibus sacrificarent. Sed tamen singulae gentes vel tribus, ut plerumque in urbibus Graecis factum est, suos deos retinebant, quapropter Clarotae illi priscam Iovis religionem servaverunt. Eum autem Iovem Κλάριον eundem fuisse ac vetustissimum illum Peloponnesiorum vel Pelasgorum deum, cui in monte Lycaeo sacra sollemnia agebantur, ara illa Iovis Lycaei in Garcatarum pago Tegeatico sita et templo, quod Pausanias collapsum vidit, satis indicari puto[5]). Non enim mirum est Clarotas pristinae servitutis oblitos Iovis sui Κλαρίου cognomen commiscuisse cum fabula, quam quis ex ipso hoc cognomine de sortita Arcadia commentus erat.

Suo autem iure, puto, Ern. Curtius[6]) Iovem illum Κλάριον eundem esse opinatus est ac „μέγιστον, κεραυνοβόλον," qui initio inscriptionis[7]) nominatur. Qui quidem Iovis Κεραυνοβόλου cultus praeterea altera hac inscriptione testatur inter Mantineae urbis ruinas inventa litterisque priscis confecta: „ΔΙΟΣ ΚΕΡΑVΝο"[8]).

---

[1]) Schol. in Apollon. Rhod. Argonaut I. v. 162. Pausan. l. l.

[2]) E. Curt. Pelop. I. p. 250 sq.

[3]) Recte me deum cum tribus nomine coniunxisse trium reliquarum tribuum nomina docent a Neptuno, Apolline, Minerva derivata. [Hippothoum, regem Arcadiae (Paus. VIII. 5, 4; 45, 7), Cercyonis sive Neptuni (Paus. I. 5, 2; 39, 3.) f., initio fuisse Neptuni cognomen existimo. Sed accuratius in eam rem inquirere non est huius loci.]

[4]) P. VIII. 53, 9. *„καλοῦσι δὲ οἱ Τεγεᾶται καὶ ἑστίαν Ἀρκάδων κοινήν."*

[5]) cf. supra p. 24. [6]) „Pelop." I. p. 272. not. 27.

[7]) Boeckh C. I. Gr. No. 1513.

[8]) Le Bas et Waddington „voyage archéologique en Grèce et en Asie Mineure" partie II. section VI. No. 352a. Waddington inscriptionem illam saeculo V. a. Chr. n. confectam esse putavit.

Maxime vero dolendum est nil praeterea de eo Iovis cultu nobis traditum esse; quapropter in medio relinquendum esse censeo, num recta sint, quae Waddington V. C. de ea re disseruit his verbis: „Au cinquième siècle avant notre ère, chez les Arcadiens habitants la plaine de Mantinée le culte de Zeus avait encore un caractère essentiellement naturaliste, et consistait dans la divinisation du phénomène physique; la Foudre ne leur apparaissait pas comme l'arme du dieu, mais comme le dieu lui-même."

Quae Iovis religiones, quas exposui, cum propter vetustatem summo fuerint momento ad eam rem, quam pertractandam mihi proposui, iis, ad quas nunc accedam, cum recentes vel seriore tempore institutae vel receptae esse videantur, non idem tribuendum est, ut satis sit paucis de iis disseruisse.

Ac primum quidem commemoranda sunt fana duo, alterum Διὸς Σωτῆρος, alterum Διὸς Ἐπιδώτου, Mantineae exstructa[1]). Quorum cognominum prius Σωτῆρος persaepe Iovi tribuitur[2]), posteriore Ἐπιδώτου eum hac de causa ornatum esse Pausanias dicit[3]), quod bona hominibus largiretur. Quae sacella quo tempore aedificata essent Pausanias non tradidit; sed ex ipsis cognominibus opinari licet ea ex voto condita esse, vel ut gratiae deo referrentur, qui salutem fortunamque tribuisset.

Idem dicendum est de templo Iovis Σωτῆρος Megalopoli prope Aristandri porticum sito, in quo iuxta Iovem in solio sedentem statuae collocatae erant marmoreae Dianae Σωτείρας et Megalopolis deae a Cephisodoto et Xenophonte Atheniensibus confectae[4]).

Praeterea Megalopoli templum erat Φιλίου Διός, cuius statua a Polycleto, celeberrimo Argivo, facta Baccho simillima erat[5]). Neque procul a Iovis Φιλίου superstitione videtur abesse Iovis

---

[1]) Paus. VIII. 9, 2. [2]) cf. Welcker „gr. Götterl." II. 183 sq.

[3]) Paus. VIII. 9, 2. [4]) Paus. VIII. 30, 10.

[5]) Paus. VIII. 31, 4. — Dio Chrysost. orat. XII. 76: *„φίλιος δὲ καὶ ἑταιρεῖος (Ζεὺς καλεῖται), ὅτι πάντας ἀνθρώπους ξυνάγει καὶ βούλεται εἶναι ἀλλήλους φίλους."* — cf. Welcker „Götterl." II. p. 202. — Overb. „griech. Kunstmyth." II. p. 51. 228 sq. — Optima sunt, quae de eo Iove disseruit Prellerus in diurn. archaeol. 1845 p. 105 (typis denuo exscripta sunt in opuscc. select. p. 284.) — cf. eiusd. mytholog. Gr. I^2 p. 115.

Mihi quidem is Juppiter *Φίλιος* proximus esse videtur Italorum deo „Juppiter Liber" nominato. cf. Prelleri mythol. Roman. edit. II. p. 173 sq. —

Χάρμωνος, cui sacellum erat in planitie Mantineae urbis prope Epaminondae sepulcrum [1]).

Alipherae praeterea ara erat Διὸς Λεχεάτου, „ἅτε ἐνταῦθα τὴν Ἀθηνᾶν τεκόντος [2]).“ Qua in urbe Minervae Arcadicae cultus maxime floruit neque igitur mirum est Alipherenses Atheniensium fabulam de Palladis ex Iovis capite ortu recepisse. Atque brevi cum Atheniensibus de deae patria contendentes suae urbi Alipherenses eum honorem vindicabant et, quo magis fabulae crederetur et Iovi, qui illam in lucem edidisset, gratos se redderent, aram exstruxerunt „Puerpero [3]).“

Deinde Iovem Μοιραγέτην cum Parcis in ectypa imagine Acacesii se vidisse Pausanias tradidit [4]). Sed luce clarius est etiam eum Iovem posterioribus demum temporibus ab Arcadibus receptum esse, cum magis magisque singulorum pagorum et gentium religiones superstitionesque oblivioni darentur et communes omnium Graecorum di eorumque cultus passim manarent. Imaginem autem illam Iovis Μοιραγέτου ultimis demum antiquitatis Graecae temporibus confectam esse reliquis, quae in eadem Acacesii porticu exstabant, imaginibus satis demonstratur [5]).

Idem fere dicendum est de cultu Iovis Τελείου, cui ara et simulacrum quadratum (ἄγαλμα τετράγωνον) Tegeae dedicatum erat [6]).

Postremo Ζεὺς Μειλίχιος, qui Aristaei naturam fere adaequat [7]), in inscriptione hac Tegeae inventa memoratur: „Δὶ Μελιχίῳ

[1]) Pausan. VIII. 12, 1. — cf. Prelleri myth. Graec. I² p. 115. — Aliam coniecturam protulit Welckerus („Götterl.“ II. p. 486), cuius verba haec sunt: „Möglich, dass das Hieron des Zeus Charmon in Mantinea euphemistisch den Pluton anging.“ Alio autem loco Welckerus (II. p. 196 n. 23) Iovem Charmonem cum Boeotorum Iove Ἐπικαρίῳ composuit et illo Plutarcheo „Χαριδότου“ cognomine (Plut. moral. p. 1048 C.) vocem Χάρμωνος declarari posse opinatur. — [2]) Paus. VIII. 26, 6.

[3]) Eam vocem apud scriptores Latinos non occurrere non mirum est. Sed qui vocem Λεχεάτου latine vertere volet, aliter non poterit.

[4]) Paus. VIII. 37, 1. — cf. Lauer „Syst. d. Myth.“ p. 211.

[5]) Herculem enim tripoda Apollinis rapientem, Panes Nymphasque, Polybium Lycortae f. reliquae illae imagines ostendunt.

[6]) Pausan. VIII. 48, 6. — Etiam Overbeckius („gr. Kunstmyth.“ II. p. 19) eam statuam sero confectam esse arbitratur.

[7]) cf. Preller „gr. Myth.“ I. p. 112. Welcker „Götterl.“ I. 207. II. 201. Lauer l. l. 201. 210. 212.

Μίκυλος ἀνέθηκε [1]).“ Uterque enim Iuppiter, et Τέλειος et Μειλίχιος extra fines Arcadiae occurrunt [2]), sed vetustissimis Arcadibus notos eos fuisse nulla re indicatur.

Sed haec hactenus. Paucis autem ut comprehendam, quae de Iove Arcadico exploravimus, id constare puto fuisse antiquissimis temporibus unum deum Arcadum, Iovem caelestem, et benignum et infestum, qui sub Lycaei nomine adorabatur. Postea vero cum discerni coeptum esset inter deum propitium deumque malignum huic nomen Lycaei mansit, ille Ἀρισταῖος appellabatur. Cuius cultus olim fortasse longe divulgatus inferiore aevo duobus tantum locis superfuisse videtur [3]). Ceteros autem, quorum mentio exstat, Iovės Arcadicos omnes fere ea, quae grassabatur, deorum confusione posterioribus temporibus ortos esse verisimillimum est; solus Iuppiter Κλάριος aliquantum cum Lycaeo Iove videtur cohaerere.

[1]) Le Bas et Waddington — voyage archéol. part. II. sect. VI. No. 337. Waddington recte adnotavit: „Le culte de Zeus Milichios à Tégée n'est connu que par cette inscription.“ —

[2]) cf. Welcker l. l. I. 207. II. 183. 201. 205. [3]) cf. supra p. 19 sq.

De Pane Arcadico.

Panem, pastorum illum patronum, pascuorum et saltuum deum, ex omnibus Graecorum dis praecipue Arcadicum fuisse nemo est, qui nesciat. Atque iam Simonides[1]) eum esse deum Arcadicum cecinit et Pindarus[2]) et scolion quoddam Atheniense[3]) Panem praedicant regem Arcadiae, cui terrae etiam cognomen erat Πανία[4]). Quod Pausanias[5]) comprobat, qui Panem in Arcadia natum et in potentissimorum deorum numero ducendum esse scripsit, nec non Dionysius Halicarnassensis[6]) Panem antiquissimum deum esse maximeque honoratum ab Arcadibus tradidit[7]).

Imprimis autem poetae posteriorum temporum, prae ceteris auctor hymni Homerici in Panem, Theocritus, Vergilius, Ovidius, deum Arcadium celebrant et non solum unum Panem exhibent, sed totam Arcadiam Panibus replent quasi et referciunt[8]).

Quapropter summopere miramur Pausaniam, studiosissimum rerum divinarum investigatorem, nullam fere tradidisse fabulam, qua Panis natura antiquissima eiusque religio illustraretur eundemque per Arcadiam proficiscentem pauca admodum templa vel sacella et simulacra dei vidisse, quorum pars quidem certe serioribus temporibus condita est. Immo vero Periegetae narratione ad opinionem fere adducimur in ipsa Arcadia vel „Pania" Panis religionem ab hominibus valde esse neglectam.

Qua in difficultate, cum quaeratur, unde religio illa orta et quibus locis Pani sacra facta sint, quin omnes poëtarum posteriorum fabulae summa cautione adhibendae vel plane reiciendae

---

1) Simonidis fragm. 133. ap. Bergk. p. l. Gr. III³ p. 1163.

2) Pind. fragm. 72 ed. Bergk (63. ed. Boeckh.).

3) Scol. V. — Bergk p. l. Gr. III. p. 1288. (ed. III.)

4) Steph. Byz. s. v. Ἀρκαδία.

5) VIII. 26, 2; 37, 11. — cf. Serv. ad Verg. Georg. I. v. 16 G.

6) Antiquitatt. Rom. l. I. c. 32.

7) cf. Welcker „gr. Götterl." I. p. 451 sqq.

8) cf. Welcker l. l. II. 663. — „Panes" apud Theocrit. idyll. IIII. 63; Propert. IIII. 16, 34 (ed. Luc. Müller); „Panisci" ap. Cic. de nat. deor. III. 17, 43.

sint dubitari non posse censeo. Quod ni fecerimus, vix nobis continget, ut genuinam Arcadum superstitionem enucleemus. Nam posterioribus temporibus et poetae Graeci nugis delectati[1]) Panis religionem cum aliorum deorum, imprimis Bacchi[2]), religionibus commiscere coeperunt et Romani superstitionem Fauni Italici ad Panem Arcadicum deferentes et cum eo confundentes antiquam Arcadum religionem sensim plane obscuraverunt, ne dicam de iis scriptoribus, qui Panem universi deum praedicabant[3]).

Quodsi hac in re a Prelleri sententia recedendum est, qui hymnum Homericum XVIIII. secutus sermonis gratia mentes legentium capit[4]), contra Welckeri gravissima auctoritate uti licet de Panis pristina religione ita disserentis[5]): „Was wir von dem Pan der auf ihren Bergen abgeschlossenen Arkader lesen und in Bildwerken sehen, gehört alles einer späteren Zeit an und drängt sich dabei in seiner niedrigen Art so massenhaft vor, dass es schwer wird, das uralt Ursprüngliche, das davon so fern abliegt und damit durch so wenige Verbindungsfäden zusammenhängt, sich frei und unbefangen vorzustellen. Nur als spät in Athen eingewanderten Fremdling lernen wir diesen Gott genauer kennen und das grelle Bild des Pan in späterer Religion und Poesie muss von der dunkleren und nur zu erschliessenden Vorstellung des grossen Naturgottes eines Hirtenvolkes scharf unterschieden werden." . . . —

Itaque si examinamus quae de Panis Arcadici religione, de templis et imaginibus Pausanias prodidit, primum duo occurrunt dei simulacra, quae certe seriore tempore confecta ad priscam superstitionem cognoscendam nihil omnino valent. Erat enim

---

1) cf. Welcker l. l. II. 660: „Pan ist uns besonders durch die attischen und die von ihnen meist abhängigen Dichter bekannt, welche selten mit Ernst den Gott auffassten" ... —

cf. W. Gebhard „Beitrag zur Geschichte des Pancultes" in progr. gymn. Brunsvig. 1872. — p. 3: „Wenn wir die Menge der Erwähnungen mit einander vergleichen, so finden wir eine stetige Zunahme für die spätere Zeit." „Dieselbe Erscheinung finden wir in den Denkmälern." ..

2) cf. Lauer „Syst. d. Myth." p. 240: „..Pan Gefährte des Dionysos.".. — Welcker l. l. II. 663.

3) Apollodorus ap. Serv. ad Verg. Georg. I. v. 16 G. — De „Magni Panis" morte cf. Plut. de oraculor. defect. p. 419. — cf. Lauer l. l. 240. Welcker l. l. 669 sq. — 4) Preller „gr. Myth." I² p. 581 sqq.

5) „Götterl." I. p. 451 sq.

ectypa imago in ara templi Magnarum Dearum Megalopoli, quae Panem tibia canentem, cum Apolline Citharoedo Horisque coniunctum ostendebat[1]). Altera autem imago Panes Nymphasque exhibens post Polybii demum tempora Acacesii confecta est[2]).

Deinde memorantur templa et simulacra, de quibus hoc unum constat in montibus vel collibus pleraque fuisse condita. Velut prope viam Tegea Argos ducentem in monte Parthenio Panis sacellum erat eo loco, ubi Philippides vel Phidippides Atheniensis deum conspexisse ferebatur[3]). Eiusdem dei sacellum cum quercu sacra situm erat iuxta viam Tegea Thyream ducentem[4]). Praeterea in Maenalorum finibus inter ruinas urbis „Περαιθέων“ templum Panis memoratur[5]) et „in iugis Maenaliis Hughes (itin. T. I. p. 188) Hallerum notat elegans vidisse Paneum, cui priscis litteris inscriptum (esset) Πανός[6]).“

Porro Panis sacri dicebantur Lampia mons[7]), montes Maenalii, ubi tibiae dei sonum audire putabant[8]), montes Nomii in confinio Messeniae et Arcadiae siti, in quibus ille syringa invenisse ferebatur[9]), Parthenius in confinio Arcadiae et Argolidis situs, sacris eius testudinibus celeber[10]). Et deus per eos montes vagari credebatur atque ita aliquando Cereris lugentis et propter raptam filiam irascentis refugium in Elaïo monte repperisse narrabatur[11]). Denique hoc loco memoranda est Panis statua aënea cubitalis collocata in curia Megalopolitana, quae antea in colle „Scoleita“ locum obtinuerat[12]).

---

1) Paus. VIII. 31, 3. Inscriptione a Pausania laudata: „*εἶναι σφᾶς θεῶν τῶν πρώτων*“ (quam vocem Schubartius ex *πατρῴων* corruptam esse opinatus est [cf. eius versionem German.]) imagini illi maior auctoritas non tribuitur. Nam ex Pausaniae verbis cognosci nequit, illine *πρῶτοι* vel *πατρῷοι θεοὶ* sint Pan et Apollo, an Ceres et Proserpina. Verisimilius inscriptio ad Magnas Deas referenda videtur; si minus praeter Apollinem et Panem etiam ad Horas spectaret.

2) Pausan. VIII. 37, 2. — cf. supra p. 28. n. 5.

3) Paus. VIII. 54, 6. — cf. Paus. I. 28, 4. Herod. VI. 105.

4) Paus. VIII. 54, 4. 5) id. VIII. 36, 7.

6) Boeckh C. I. G. No. 1540. 7) Paus. VIII. 24, 4.

8) id. VIII. 36, 8. — cf. Theocrit. idyll. I. v. 124. cf. E. Curt. „Pelop.“ I. 312.

9) Paus. VIII. 38, 11. — Panem Arcadicum tibiae inventorem putatum esse non mirum est, quoniam per omnem fere Arcadiam pastorum tibiae fistulaeque sexcenties resonabant.

10) Paus. VIII. 54, 7. 11) id. VIII. 42, 3. 12) id. VIII. 30, 7.

Multo autem maioris auctoritatis haec sunt: Heraeenses templum exstruxerant Pani, quem deum honorabant „ἅτε τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχώριον[1]).“ Deinde prope Lycosuram, quam urbem omnium antiquissimam putabant[2]), Panis templum et statua et porticus erat[3]). Cui quidem deo, qui potentissimus vota precesque hominum exaudire, impios sceleratosque meritis poenis afficere credebatur, ignis perpetuus ardebat. Quin priscis temporibus etiam oracula deus edidisse tradebatur per Erato nympham, Arcadis amatam, et vel Pausaniae temporibus carmina Eratus ostendebantur, quae Periegeta ipse se legisse dicit[4]). — Denique haud procul a Lycosura in montibus Nomiis sacellum erat Panis Νομίου[5]).

Omnium vero maxime memorabilia ea loca sunt, quibus Pan cum Iove Lycaeo coniunctus colebatur. In monte enim Lycaeo Panis quoque templum erat et lucus eius sacer iuxta stadium et hippodromum, in quo ludi Lycaei agebantur[6]). Similique modo intra Iovis Lycaei fanum Megalopolitanum, quo montis Lycaei antiquissimum delubrum imitati erant[7]), statua Panis marmorea erat[8]). Postremo memorandae sunt arae et templa Iovis Lycaei et Panis in via, quae Tegea in Laconiam ducit[9]).

Itaque iis ipsis locis, quibus antiquissimae Iovis Lycaei religionis vestigia manserunt, Pan, rusticus ille et agrestis deus posterioris aevi, cum deo Arcadum celeberrimo artissime coniunctus occurrit.

Quae quidem eorum coniunctio et societas admirationem movet eoque magis digna videtur, a qua disputatio nostra proficiscatur, quod Panis ne nomen quidem Homerus novit et Herodotus[10]) eum cum Baccho et Hercule inter recentissimos Graecorum deos reposuit.

---

1) Paus. VIII. 26, 2. 2) id. VIII. 38, 1. cf. ibid. 2, 1.

3) „*Διὰ κλίμακος*“ ad id templum ascendebant. Itaque etiam hîc Panis sacrum in alto editoque loco conditum erat.

4) Paus. VIII. 37, 11. 12. 5) Paus. VIII. 38, 11.

6) Paus. VIII. 38, 5. 7) cf. supra p. 11.

8) Paus. VIII. 30, 3. Huic Pani cognomen erat „*Οἰνόεις*.“ cf. infr. p. 36.

9) Paus. VIII. 53, 11.

10) Herod. II. c. 145. cf. ibid. 146: „*δῆλα ὦν μοι γέγονε, ὅτι ὕστερον ἐπύθοντο οἱ Ἕλληνες τούτων τὰ ὀνόματα ἢ τὰ τῶν ἄλλων θεῶν.*“ — cf. Gebhard „Beitrag zur Geschichte des Panecultes“ p. 3.

Sed quamvis antiquis de Iovis Lycaei et Panis necessitudine scriptorum testimoniis careamus, probabilissima, si quid video, coniectura, quid de ea re statuendum sit, possumus assequi. Omnes enim difficultates solvuntur exoptataque fabulis Arcadicis lux affertur, si Panem principio ex Iove Aristaeo oriundum esse statuimus.

Atque primum quidem Panem esse veterem lucis deum viri docti consentiunt[1]), et quamquam posteris ea Panis origo et natura oblivione obruta videtur, tamen apertissimis vestigiis ea opinio firmatur. Pausanias enim tradidit[2]) Sicyone prope Iunonis fanum se vidisse duas aras alteram Panis, alteram Solis[3]).

Etiam multae, quae de Pane deo narrabantur fabulae deum lucis arguunt; ut quod Cererem occultam repperit Iovique indicaverit[4]), quod Lunam amaverit[5]), quod montes in deliciis habuerit[6]). Maxime vero ea coniectura fulcitur eo, quod Lycosurae igni perenni deum honorabant[7]), sicuti Olympiae per dies noctesque Pani flamma alebatur[8]). Qui quidem ignis in Panis religione ita necessarius videbatur, ut Athenienses, cum dei Arcadici cultum reciperent, pompam collucentibus facibus quotannis instituerent[9]).

Quem lucis deum quam potentem Arcades duxerint, Pausanias testis est dicens eum aeque ac summum quemque deum preces hominum exaudire, impios punire, aliquando etiam oracula edidisse[10]).

---

1) Lauer l. l. 236 sq. Welcker l. l. I. 455: „Doch verräth sich dieser Helios-Pan nach seiner frühzeitig an den meisten Orten vergessenen Urbedeutung in mancherlei Zügen und Umständen“ ... „In Arkadien ist wegen Pans weder Helios merklich, noch die Verehrung des Apollon alt, noch häufig.“ .. (cf. quae supra exposui p. 20.) — Preller „gr. Myth.“ I. p. 583. —

2) Pausan. II. 11, 1. „.. *βωμοὺς λίθου λευκοῦ.*“

3) Welcker l. l. I. 455: „... angeblich von Adrast, gewiss in sehr alter Zeit erbaut.“ ..

4) Paus. VIII. 42, 3. — Simili modo Sol putabatur Cereri dixisse Proserpinam filiam a Plutone raptam esse cf. hym. Homer. in Cererem vv. 59—87.

5) Vergil Georg. III. v. 392. —

6) cf. p. 32. — Fortasse etiam nomen Lampiae montis Panis sacri huc referri potest. Paus. VIII. 24, 4.

7) Paus. VIII. 37, 11. 8) id. V. 15, 9.

9) Herod. VI. 105. Paus. I. 28, 4. Phot. s. v. *λαμπάς*.

10) Paus. VIII. 37, 11. — Apollodorus (I. 4, 1, 3) ipsum Apollinem artem vaticinandi a Pane, Iovis f., didicisse tradidit.

Semper autem Pan mitem, benignum, munificum deum se praebet, ut omnino simillimus videatur Iovis Aristaei, qualem eum fuisse ex exiguis, quae exstant, vestigiis supra[1]) demonstravimus. „Νόμιος“ autem et „Ἀγρεύς“ uterque deus, et Pan et Aristaeus appellabatur[2]); neque absonum est, quod Pani etiam „μελισσοσόου“ cognomen tributum sit[3]). Cui enim, qui legerit, in mentem non veniet locus ille Servii[4]): „Nam apud Arcadas (Aristaeus) pro Iove colitur, quod primus ostenderit, qualiter apes debeant reparari[5])“?

Quae cum ita sint, Pan ille Iovi Lycaeo haud impar dignitate suo iure deus „τοῖς Ἀρκάσιν ἐπιχώριος[6])“ nominabatur; itaque iam non miramur neque in monte Lycaeo[7]) neque in Gareatarum pago Tegeatico[8]) simulacrum Panis fuisse, cum antiquissimum Panem i. e. Iovem Ἀρισταῖον item ac Λυκαῖον sine imagine cultum esse consentaneum videatur[9]). Quod autem Megalopoli in Iovis Lycaei fano Panis statua marmorea erat, non est, in quo offendamus, vel ab opinione prolata recedamus.

Variae deinde narrationes, quae de Panis origine a genealogis traduntur, ad unam omnes Panem artissime cohaerere cum numinibus lucis demonstrant, quamvis inter se differant.

---

1) p. 17 sq. — cf. quae Welckerus de Aristaeo disseruit („Götterl.“ I. p. 487—491).

2) Pan „*Νόμιος*“ — Paus. VIII. 38, 11. Hymn. Hom. in Panem v. 5. Pan *Ἀγρεύς* — cf. Hesych s. v.; hymn. II. v. 12—15. — Aristaeus *Νόμιος* et *Ἀγρεύς* — Pind. Pyth. VIIII. v. 64 sq. cf. Bergkii annot. ad v. 63: „Servius (ad V. Georg. I. v. 14), qui dicit Aristaeum ab Hesiodo Apollinem Nomium appellatum esse, haud dubie non satis diligenter interpretatur locum Hesiodi, qui videtur simpliciter *Νόμιον* appellavisse.“ — Schol. ad Apoll. Rhod. argon. II. v. 498. — cf. Welcker „Götterl.“ I. 490: „Aristäos ist ebensosehr Agreus als Nomios.“ — Lauer l. l. p. 237 sq. — Preller l. l. I. 582. 584.

3) Antholog. Gr. (ed. Fr. Iakobs) tom. II. p. 76. (*ἐπιδεικτικὰ ἐπιγρ.* — part. VIIII. n. 226):

... „*πάντα περικνίξασθε καὶ ἄγγεα κηρώσασθε*
„*ὄφρα μελισσοσόος Πὰν ἐπικυψέλιος*
„*γεύσηται*“ ...

4) Serv. ad V. Georg. I. v. 14.

5) cf. Iustin. hist. Phil. XIII. c. 7: „Aristaeum in Arcadia late regnasse cumque primum et apium et mellis usum et lactis ad coagula hominibus tradidisse.“ —

6) Paus. VIII. 26, 2. 7) ibid. 38, 5. 8) ibid. 53, 11.

9) cf. W. Gebbard l. l. p. 3. 4.

Scholiasta enim ad Euripidis Rhesum v. 36[1]) alios Panem Apollinis et Penelopes[2]), alios Penelopes aut Callistus et Iovis, alios Mercurii et Orsinoes nymphae filium dixisse tradidit; Ariaethum autem Tegeaten scripsisse Aethera ex Oenoë nympha Panem genuisse. Aristippus vero Panem Iovis et Oeneïdis nymphae filium appellavit[3]). Quo etiam referendum est Panis cognomen „Οἰνόεις," quod ab Oenoë nutrice accepisse fertur[4]); eandem vero Oenoën Iovis fuisse nutricem alio loco didicimus[5]). Epimenides[6]) deinde Panem et Arcadem geminos fuisse cecinit ex Iove et Callisto[7]); Euripides[8]) Saturni filium, Iovis igitur fratrem, Panem esse putavit. Denique etiam Urani et Telluris filius Pan perhibetur[9]), ita ut genealogia quoque aliquantum afferat ad fulcienda ea, quae de Panis ex Aristaeo origine disserui, cum iidem utrique parentes tribuantur[10]). Quodsi porro Pani deo „Διόπανι" nomen inditur[11]), ea ipsa re significari puto cum non solum simili esse natura, sed etiam Iovis aequalem et parem. „Διόπαν" enim vox eodem modo formata est ac „Ζηνο-

---

[1]) cf. C. Müller fragm. hist. Gr. tom. IIII. p. 319 (Ariaethi Tegeatae frag. V.). Mülleri coniecturam comprobo pro „*καὶ δύο παῖδας γενομένους*" legentis „*καὶ Διὸς παῖδα γενέσθαι.*"

[2]) cf. Serv. ad V. Georg I. v. 16. — Penelope nympha est Arcadica nec cum Ulixis uxore confundenda (cf. Preller „gr. Myth." I². p. 586). Veri est simillimum Penelopen inter Dianae comites vel satellites esse ducendam.

[3]) cf. Müller fragm. hist. Gr. IIII. p. 327. (Schol. ad Theocr. I. v. 3.)

[4]) Pausan. VIII. 30, 3.

[5]) id. VIII. 47, 3.

[6]) Schol. Vatic. ad Eurip. Rhes. v. 36. — Teste igitur Epimenide gemini fuerunt Arcadum di Pan et Arcas, quales Lacedaemoniorum Castor et Pollux, Messeniorum Idas et Lynceus, Thebanorum Amphion et Zethus. — Arcadem inter numina lucis ducendum esse, cum pluribus verbis exponi non opus sit, hoc tantum moneatur eundem cum esse atque Endymionem, si quidem scholio ad Apollonii Rhod. argonaut. IIII. v. 264 fides habenda est; ubi legitur „*Ἀρκὰς γὰρ ὁ Ἐνδυμίων.*" —

[7]) Callisto nympham primo eandem fuisse, quam Dianam *Καλλίστην*, iam dudum inter viros doctos convenit. cf. Lauer l. l. 294 sq. — Welcker „Götterl." I. 580 sq. III. 128. Preller I². p. 233.

[8]) Eurip. Rhes. v. 36.

[9]) Schol. Theocrit. I. v. 123.

[10]) Schol. Apollon. Rh. II. v. 498. — cf. supra p. 17. — Ceterum de Panis parentibus, qui dicuntur, cf. Lauer l. l. p. 233 sq. Welcker l. l. II. 658 sq. Preller l. l. I. 586 sq.

[11]) C. I. Gr. no. 4538.

ποσειδῶν," praeter quae nomina nullum, quod sciam, aliud reperitur, quo similis indicetur dei cum Iove societas. Quam quidem artissimam necessitudinem scholion Ioannis Diaconi ad Hesiodi theog. v. 381. (p. 473) his verbis indicat: „καὶ Ὀρφεὺς τὸν ἥλιον Ζῆνα προσαγορεύει καὶ Πᾶνα[1])."

Optime vero coniectura mea recepta nummorum Arcadicorum imagines intelleguntur, quas Ernestus Curtius docta disputatione illustravit[2]).

Tria enim Curtius affert nummorum Arcadicorum genera[3]), quorum primum Pana ostendit in declivi cubantem monte Lycaeo[4]). Iovis autem Lycaei ipsius imagine in nummis signandis uti non potuerunt, quia etiam ultimis antiquitatis Graecae temporibus deus ille sine imagine cultus esse videtur. Itaque, ut monetam indicarent[5]), Panis simulacrum adhibuerunt, qui cum Iove Lycaeo artissimo vinculo erat coniunctus.

Secundum genus nummorum in uno latere praebet caput Iovis, in altero Pan conspicitur aquilam dimittens[6]). Qui quidem Pan non simplex ille gregum et pastorum deus est, quem posteri honorabant; nam difficile est intellectu, quî sacra Iovis avis in dei, qui vulgo putatur, inferioris ordinis potestate sit. Suo autem iure ea potestate utitur is deus, qui primo idem erat ac Iuppiter, eadem natura, eadem auctoritate praeditus.

Tertio generi Curtius adnumeravit nummum Arcadicum, in cuius altero latere cernitur caput muliebre („crispatis crinibus") Dianae Arcadicae, in altero Pan „peplo involutus, pedo incumbens, dextra aquilam" tenens[7]). „Hier ist es also Pan, Curtius inquit, welcher der arkadischen Göttin gegenüber die altpelasgischen Götterdienste am Lykaion vertritt; er ist der Stellver-

---

[1]) cf. Lobeck „Aglaopham." I. p. 155.

[2]) E. Curt. „einige Bemerkungen über arkad. Münzen" in Pinderi et Friedlaenderi „Beiträge cet." Berolini 1851. tom. I. pag. 85—92.

[3]) l. l. p. 90. cf. supra p. 10. n. 5.

[4]) cf. Overbeck „griech. Kunstmyth." tom. II. p. 93. In altero latere Iovis Olympii caput cernitur. cf. ibid. tabulam nummor. I. no. 30. —

[5]) In aerario Lycaeo nummos illos esse signatos E. Curtius docuit. cf. commentat. „über den religiösen Character der griech. Münzen" in nuntiis menstr. acad. reg. litt. Berol. 1869 p. 472.

[6]) cf. Overbeck l. l. p. 93. —

[7]) de Prokesch in actis acad. reg. Berolin. 1845. — cf. E. Curt. l. l. p. 87.

treter des höchsten Zeus, dessen Adler zu entsenden auch er die Macht hat." —

Quapropter nunc Curtio adstipulamur alteram in monte Lycaeo columnam ad Pana referendam esse dicenti, si quidem Pan idem fuit deus, qui Iuppiter Ἀρισταῖος.

Quomodo autem fieri potuerit, ut Iuppiter Lycaeus omnibus temporibus coleretur, Iovis Aristaei religio in oblivionem veniret, in eiusque locum Pan succederet, si quis quaerat, haec fere respondenda sunt. Ut solent ii di, qui inimici atque infensi esse generi humano putantur, anxia diligentique religione coli, ne ulciscantur iniuriam, ita etiam Iovis Lycaei sacra neglegere Arcades ausi non sunt, ne eius iram moverent. At benignum deum, qui hominibus favebat iisque bona largissime tribuebat, impavido hilarique animo prisci incolae colebant nec iocos agere cum eo, neque ad sales eum transferre reformidabant. Itaque ille paullatim ex deorum superiorum numero ad deum pastoralem delapsus est[1]) neque aliud pristinae eius naturae remansit testimonium, nisi quod, ut olim Aristaeus, sic postea Pan cum Iove Lycaeo ut gemellus consuetudine magis quam meditatione coniungebatur[2]).

Itaque etiam vetus Aristaei nomen sensim plane obliterari potuit, cum et pastores ipsi et alii Arcades brevi illum pastorum tantum deum rati ipsum „pascentem" significarent[3]). Equidem enim non dubito, quin viri docti Panis nomen recte derivaverint de radice sanscritica „pâ" [= tueri, sustentare, alere. cf. ἐπασάμην, πέπαμαι, πᾶμα, pasco, pabulum, cet.][4]). —

---

1) Non mirum est, quod pastores deum suum omnibus illis insignibus instruxerunt, quae in talibus dis agrestibus occurrere solent, scilicet cornibus et pedibus caprinis, pelle hirsuta, similibus.

2) cf. Welcker „Götterl." I. p. 455: „Erweislich ist, dass der Naturcult überhaupt, namentlich der Sonnendienst oft ganz in Vergessenheit gerathen ist und in verschiedenen Lebenskreisen neue und fremde Bedeutung und Gestalt angenommen hat. Nachdem aber in Arkadien die Götter anderer Stämme eindrangen und in den Städten sich fortbildeten, musste der grösstentheils in den Hirtenstand auf den Bergen zurückgedrängte Panscult verkümmern und verwildern und Pan den Berghirten immer ähnlicher werden."

3) Welckeri etymologiam („Götterl." I. 454) nemo nunc, ut puto, amplectitur.

4) Preller „gr. Myth." I². p. 581. n. 4. cf. eiusd. „röm. Myth." p. 365. n. 3.

Auctor de vita sua.

Paulus Florianus Welzel natus sum in vico Langenbrück, prope urbem Neustadt s/S. sito, anno h. s. LII. die IIII. m. Maii, patre Guilelmo, matre Antonia e gente Elpel, quos adhuc vivos gratissimo veneror animo. Prima elementa domi in ludo litterario didici, cui pater meus praeest. Fidei addictus catholicae anno aetatis XII. gymnasium Vratislaviense ad aedem St. Matthiae situm, tum Augusto Wissowa, nunc Josepho Reisacker rectore florens, frequentare coepi. Gratias debeo quam maximas Expedito Baumgart et Antonio Goerlitz vv. dd. mihi litterisque praematura morte ereptis, qui horum studiorum amorem mihi excitaverunt, nec minores viris dd. Reisacker, Dittrich, Maiwald, Schneck. — Novem annis ibi peractis testimonium maturitatis rite adeptus autumno a. h. s. LXXII. hanc almam adii matrem Viadrinam studiis operam navaturus philologicis. Scholis maxime interfui philologicis virorum ill. Foerster, Hertz, Reifferscheid, Rossbach, historicis et geographicis vv. ill. Neumann, Partsch, philosophis vv. ill. Dilthey, Weber; praeter quos audivi viros ill. Elvenich, Alw. Schultz, Stenzler, Weinhold. — Exercitationibus interfui archaeologicis, philologicis, philosophis, quas moderabantur vv. ill. Rossbach, Foerster, Dilthey; inter seminarii reg. histor. sodales me recepit v. ill. Neumann.

At hic non omittam Mauricium Brosig, v. ill., cuius scholis de arte organo canendi vix sperata mihi praebebatur copia artis musicae colendae exercendaeque, quam inde a pueris studio atque amore amplexus eram. —

Quadriennio peracto per quater paene sex menses praeceptoris domestici munere functus, deinde per totum fere proximum annum valetudine ita impeditus sum, ut ineunte demum aestate huius anni ad studia intermissa reverti mihi liceret. —

Praeceptoribus omnibus, studiorum meorum fautoribus, imprimis Riccardo Foerster, Carolo Neumann, Augusto Rossbach gratias habeo quam maximas semperque habebo. —

Sententiae controversae.

I. Strab. l. VIII. c. 8. p. 388: „τιμᾶται δ'ἐπὶ μικρὸν καὶ τοῦ Λυκαίου Διὸς ἱερὸν κατὰ τὸ Λύκαιον ὄρος." Pro „ἐπὶ μικρὸν" scribendum est „ἐπὶ μακρόν."

II. Pausan. VIII. 43, 2 pro „Θύβριδι" scribendum est „Τιβέριδι."

III. Apud Serv. ad Verg. Aen. lib. IIII. v. 473 lego: „Alii dicunt, quia (codd. mss. qui) cum . . . exiret . . ."

IIII. Pausan. VII. 24, 2. Verba „Ὁμαγύριος δὲ ἐγένετο . . . . usque ad „καὶ ὅσαι περίοικοι πόλεις ἦσαν" — pro glossemate duco.

V. Orphei, quae vulgo dicuntur Argonaut. v. 18. sic legendum esse censeo:

„Γηγενέων, οἳ λυγρὸν ἀπ' Οὐρανοῦ ἐστάζοντο."

VI. Pericles Atheniensium reipublicae saluti non fuit.